



LEGATVS SEV

DE LEGATIONE LEGATORVMQVE

priuilegiis officio ac munere libellus.

Ad titulos de Legatione & Legatis in ϖ. & C.

PHILIPPO HVRALTO VICEcomiti Cheuernio Galliæ Procancellario dicatus.

F. LE VAYER I. C. ET IN suprema Curia Aduocato Authore.





PARISIIS,
Apud Michaëlem de Roigny via Iacobæa sub signo quatuor Elementorum.
M. D. LXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



PHILIPPO HVRALTO VICECOMITI CHEVERNIO, GALLIÆ PROCANCELLARIO AC NOMOPHYLLACI, F. LE VAYER, PERPETVAM FOELICITATEM PRÆCATVR.

MERITO *Aristoteles suę ·tatis leguleios, ac iuris professores reprehendit (Huralte Cheuernię) vtpote qui περὶ τῶν συναλλαγμάτων, & de formulis quæ priuatas hominum actiones respiciunt, ad rauim & nausæam vsque disputarent: Ea verò quæ ad totius reipublicæ administrationem & commoda pertinēt, pro derelicto haberent, nec leuiter quidem aut perfunctoriè, de bello, pace, fœderibus, vectigalibus quicquam dicerent. Equidem quod Aristoteles de Iuris professione, ac θεωρία dixit, idipsum nos multò Iustius de vsu & exercitatione forensi, quam πρᾶξιν vocant profiteamur: multos esse videlicet, qui in componendis ac dirrimendis priuatorum controuersiis magno rei familiaris compendio versentur, paucos qui de restituenda republica intestinis bellis conuulsa, ac penè prostrata, in qua plus periculi & laboris, minus vtilitatis versetur cogitent. Vt nobis verè nunc quasi Iupiter in scena, aut quasi alter Epidaurius videaris, qui procellas & hos fluctus*

componere, mutillúmque & lacerum reipub.corpus restituere, pro summa tua doctrina, authoritate & prudentia coneris, accepta videlicet dignitate Procancellarij, cum qua totius reipublicæ clauus tibi commissus esse videtur. Equidem satis laudare non possum summam Romanorum in republicæ administratione prudentiam, qui non cuilibet indiscriminatim, & vt res ferebat, grauissima reipublicæ onera contulerunt. Sed patritiis, ętate prouectis, nec non his qui per leuiores & medias reipublicæ dignitates, quasi gradatim conscendissent. Hoc si vnquam in Galliis, certè in tua celebri ad procancellariatum designatione ac inauguratione ad vnguem seruatum est.

Vt si electione, & communibus omnium non sapientum modò, sed & cæterorum suffragiis, Reuerendissimo Cardinali à Biraguo honestam missionem postulanti, successor nominandus fuisset, nullus certè cui iustius hoc munus deferretur repperiri potuisset. Nam si tui generis nobilitatem spectemus, quis illustrior? quis maiorum imaginibus spectabilior? fremant omnes licet, hoc tamen verè affirmare possum nec vereor vocem exaudiri, nullum esse in Galliis togatum virum, qui tecum generis splendore, & nobilium attauorum multitudine, veniat conferendus. Hoc quam sit verum paullò antè hunc diem satis ostendisti, cum equitibus Sancti Spiritus sua nobilitas publicis tabulis confirmanda fuit: vtpote qui non tritauum modo sicuti oportuit ciere, sed vltra heptauum nobilitatem repetere, eámque publicis tabulis comprobare potueris. At ætatem tuam nihil moror, quæ plus æquo & plusquam respublica postularet, sese nobis spectandam proponit. Verùm tuam prudentiam, lon-

go rerum vſu & experientia confirmatam, tacitus præteri-re nullo modo poſſum: Qui (ſicuti virtutes omnes ſenſim creſ-cere ſolent, & vnius cuiuſque natura progreſſu ſuo perfici-tur) ſic honorum & dignitatum acceſſione nobilitatus es, vel potius ipſos tibi delatos honores nobilitaſti, nullus vt vn-quam tantum honorum ſiue varietate, ſiue amplitudine, conſequtus eſſe videatur. Etenim ſicuti ad ſumma quęque & ardua natus eras tuæ primùm integritatis, doctrinæ, probitatis, in ſupremo ſenatu Pariſienſi tyrocinium feciſti, non alliter quàm Alcidi in ſerpentibus ſuffocandis cum in cunis eſſet, fortitudinis exordium fuit. In quo quidẽ munere, tantùm laudis & glorię tibi peperiſti, tua vt eiuſmodi inte-gritas, ac vitæ innocentiæ, Carolum nonum quem nobis fa-ta inuiderunt, latere non potuerit, qui te ob eam rem, ad ſe propius accerſendum curauit, propoſita tibi ea dignitate, qua ſummos quondam iuriſconſultos apud Imperatores perfun-ctos legimus, vulgò libellorum magiſtros appellamus. Erat illis temporibus inter Carolum, & Erricum fratrem An-dium ducem, nunc verò Galliæ & Polloniæ Regem nobilis contentio, in deligendis ac conquirendis nobilibus ac litera-tis viris: Erricus nullum non mouit lapidem vt te, licet Attalicus conditionibus regi addictum, ſibi vendicaret & ad ſe pelliceret: Idque vt conſequeretur ſummam quam ha-buit dignitatem in te contulit, téque ſuum Cancellarium nominauit. Quo in munere, tuo ſemper conſilio tum in toga-ta, tum in procincta & palliata militia fœliciter vſus eſt. Quinetiam cùm nobis à Polloniæ proceribus, qui eo nomi-ne huc conuenerant quaſi euulſus, ac propemodum ereptus eſſet, te vnum ſelegit cui huius regni ſpem, quæ eum propter

fratris orbitatem vtcunque fouebat, conseruandam daret, cuique negotia omnia séque totum committeret. Eam prouinciam quam fideliter gesseris, quam fortiter sustinueris, quam fœliciter administraueris, recens testatur memoria, quæ nulla vnquam obliuione sepelietur. Neque verò hic sigillatim recensere volo quid deinceps egeris, quibus dignitatibus & honoribus perfunctus fueris, eas quasi digito notasse sufficiat, nec enim epistolæ cancellis concludi possent. Etenim Erricus cum primùm hoc auitum regnum adiit, te in sanctiori & augustiori suo consilio adsciuit, te non modo torquati illius ordinis, quem diui Michaëlis vocant, sed eius quem diuino afflante spiritu sub sancti Spiritus nomine primus instituit Cancellarium ac Nomophyllacem esse voluit: Itidémque Regina multo antea te suum cancellarium esse voluerat. Quinetiam cum reuerendissimus Cardinalis à Biraguo, Cancellarij onere subleuari propter ingrauescentem ætatem postulasset, nullum reperit, tota in Gallia te digniorem, quem regi pro candidato commendaret, cui Lampada & fasces traderet, quémque sibi suffici ac succenturiari mallet. Nec verò defuere totius regni principes ac proceres, qui de te idem iudicium facerent, quíque te per literas regi commendarent. Quorum commendatione, vel potius tuis in regem & rempublicam meritis, effectum est, summa vt omnium acclamatione & consensu, Biraguo successor nominarrris, & ad augustam Cancellarij dignitatem designareris. Nec verò dissimulem summam in hac abitione reuerendiss. Cardinalis modestiam, & prudentiam eluxisse, qui ad instar M. Antonij philosophi, necnon Diocletiani Impp. non modo collegam sed etiam successorem querere vo-

luit, quique vbi inclinantem ætatem & vires senectute fessas, ac debilitatas sensit adeò vt amplius huic muneri superesse non posset, desinere maluit quam defficere. Sed tamen maior me Herculę tua virtus (Huralte Cheuernie) qui eam dignitatem quam summi quique ardenter appetunt, tam cunctanter & modestè accepisti, vt eam alteri non inuidisse, nec ambiuisse, verùm detrectare noluisse omnibus appareat, Quinetiã nihillo magis hoc secũdo fortunę flatu intumescis nihillo elatior euadis. Sed mihi solẽ immitari videris, qui quô altius terris euehitur eo nobis minor apparet. At qui boni omnes viri gaudio, & incredibili lætitia quã de tua hac dignitate percipiũt, fermè insolescũt, tu solus quasi alter Cato in floralibus modestiam retines. Quid dicam ipsos senatores in suo Areopago Parisiẽsi incredibili animi voluptate perfusos fuisse, cum tuæ illis literę perlectæ, tuúmque diploma per quæstorem explicatum est? qui alioquin cæteris in rebus Stoicorum more perturbationum omnium expertes esse solent.

Vix Maturellus tuus patronus, vel tu potius illius, tuas literas recipi, ac homologari postulauerat, cum Barnabas Brissonius aduocatus verè regius, idipsum obnixè postulauit, suáque panegyrica, tam disertè, & eruditè, quid de te sentiret exposuit, nemo vt vnquam disertius, ac verius dixisse videatur. Cúmque dicendi finem fecisset, & in sententias itum esset, Senatusconsulto relatum est, tuas literas senatui ratas, gratas, & acceptas esse. Quod si nobilis hic senatorum ordo, eam quam ex tua inauguratione voluptatem percepit, dissimulare non potuit, ne dubites singulosquosque & priuatos φιλοπάτριδας, acrius & vehementius commotos fuisse: Vt enim improborum ad opes & honores

promotione optimi quique indignantur, interdúmque vehementius stomachantur: Ita bonorum εὐτυχία, prosperóque ac fœlici rerum successu, boni omnes congratulantur. In quorum album non verebor fratrem le Vayer regis primicerium ac grammateum adscribere, de quo hoc mihi sine assentatione dicere liceat, multos audiuisse me, qui multa de te prædicarent, qui multas tuas virtutes commemorarent, multos qui de supremo hoc honore tibi delato gratularentur, nullum tamen qui maiori studio maioríque contẽtione, tuam authoritatem, tuum in rempublicam studium, summámque tuam in reipublicæ administratione prudentiam contra Philoxenos tueretur, qui tibi ardentius hanc dignitatem expetiuerit, eáque adepta tibi magis ex voto & animo gratularetur. Nam quod Alexander alios φιλοβασιλέας, alios φιλαλεξάνδρους esse dicebat. Itidem scio permultos esse qui tibi dignitatis causa adulentur, longè pautiores qui tuas virtutes debito honore & reuerentia prosequantur, verum fratrem ex hoc paucorum numero profiteri nihil pudet, qui te vnicè etiam ante hunc delatum honorem coluit, quíque te multo ante hoc munere dignissimum prædicauit.

Cuius opinione, & frequenti virtutum tuarum commemoratione, sic commotus & inflammatus fui, hoc vnum vt deinceps cogitauerim, meam erga te obseruantiam, meúmque in te studium tibi patefacere, tuúmque mihi fauorem cõcilliare ac demereri: Idque tibi oblato aliquo ingenij specimine ac monumento. Nihil verò cum ex meis vigilliis ac lucubrationibus, satis excultum ingenio, & Elaboratum industria, sese offerret, hunc malui quam nullum, præcocem ingenij fructum, qui de legatione est, legatorúmque officio,


meæ er-

meæ erga te obſeruantiæ μνημόσυνον *prodire, & eum méque totum tibi dicare. Quem ſi grato animo exceperis, magna me ſpes fouet, alios fructus mitiores & ſuauiores* ἐν τῆ ἐπώρᾳ τῆς ἡλικίας, *ſub tuo nomine, & auſpicijs editurum.*

Vale datum Lutetiæ Pariſiorum, pridie calendas Martias, anno ſalutis. 1579.

ẽ

NVNQVAM fuerat in animo (candidè lector) quicquam ex vigiliis, posteritati consecrare, aut saltem in publicum edere (nec enim omnia vitalem genium habẽt, libithynamve vitant) siue Horatij consilium sequutus, siue quod nihil me omnium oculis ac conspectu dignum edere posse arbitrarer. Itaque meas omnes lucubrationes postquam amicis aliquot qui literarum studio recreantur legendas ac examinãdas tradidissem, & si vel pro amicitia, vel quod ita sentirent eas dignas dicerent, que in publicum ederentur, attamen huc vsque cum blattis & tinæis in musæo eas rixari, quam omniũ de me iudicium subire satius esse duxi: multorum periculo edoctus, quam arduum sit omnibus placere, & grata omniũ pallato apponere. Sed nescio quo pacto Huralti Cheuernij ad supremam togę dignitatem designatio, ac inauguratio, cõsilium institutũque meum mutauerit, vt nihil hoc tempore prius habeam, quam huic viro de literis & republica optime merito, gratulari, aliquamque meæ erga illum obseruantiæ testificationem in publicum prodire. Hoc vt præstarem, omnia mea ἀπομνημονεύματα Philosophica & medica euolui, meas etiam suauiores musas consului, nihil tamen eruditis eius oculis vt nec publica luce dignum reperi. Sed cum in mea iuris aduersaria incidissem cui abiurato medicinæ studio totum me quinquennium



dedi, ſeſe obtulit meus de Legatione Legatorumque officio ac munere libellus.

Quem cum propter ſubiecti dignitatem, tum inſolentiam (nec enim quicquam de legatione legatorumve officio editum eſſe arbitror) dignum eſſe ratus ſum, ſub cuius nomine & auſpiciis ederetur. Sed ne mea eiuſmodi gratulatio paulo tardior videretur, effectum eſt vt meus hic libellus precipitanter nimis in publicum prodiret: quem non modò perpollire, ſed & multis partibus locupletare in animo fuerat. Quod tamen editione altera huius libelli, qui gallicus propè diem prodibit, abs me quaſi altera nauigatione præſtabitur. Imperfectam igitur & inchoatam meam operam agnoſco, quo mihi cõtra iudiciorum aleam, aliquis ad veniam regreſſus ſuperſit, & vt omnes intelligant, nondum me obſignatis tabulis egiſſe. Sic enim Polycletus & Apelles, præſtantiſſimi artifices, ſeſe non feciſſe, ſed facere ſubſcribebant. Vale.

IL est permis à Michel de Roigny marchand libraire iuré en l'vniuersité de Paris imprimer ou faire imprim er certain liure Latin intitulé, De Legatione seu de Legatorum priuilegiis officio ac munere, *suyuant le priuilege qui en a esté ottroyé à l'autheur dudict liure par le Roy en son conseil, signé Bossu, en presence de Iacques Hurault sieur de Vueil, Conseiller du Roy en son priué conseil, & Maistre des requestes ordinaire de sa maison.*

Ainsi signé,

LE VAYER.



DE LEGATIONE, SIVE DE LEGATORVM AVTHORITATE, PRIVILEGIIS, ET MVNERE LIBELLVS.

F. LE VAYER IC. ET IN SVPREMA CVRIA ADVOCATO, AVTHORE.

DE ELECTIONE AC DEsignatione Legatorum.

CAPVT PRIMVM

NOBIS Legatorum & oratorum munera, dignitatem, priuilegia, & vt vno verbo dicam, omnes legationis partes exponere constituentibus superfluum ac inane visum est ordiri gemino ab ouo, primáque legationis incunabula ex veteribus sceculis arcessere: vtpote quo primùm tempore, cuius regno aut imperio, qua vrgente aut necessitate aut vtilitate legati instituti sunt, aut sacrosancti inter gentes esse cœperunt. Etenim tam accurata & exquisita disputatio nihil aut parum nostrum hoc institutum promoueret: præterquam quod

procliue est cuique, ac peruium, Legatos tunc primùm aut non ita multo post institutos fuisse, cum Pandora malorum omnium semina in hunc mundum tanquam in feracem ac bene subactum agrum demisit. Idque affecta iam & propemodum confecta ea ætate quam posteri ob fructuum vbertatem, patrum innocentiam & æuitatem auream dixerunt in qua sponte sua sine lege fidem rectumque colebant, pœna metusque aberant. Ex eo enim tempore oppida molliri cœperunt & ponere leges, vt à poeta dictum est: Alij in alienas possessiones irruere, sibi alios subiicere, imperium detrectantibus bellum mouere. Hinc primam Legatorum & fęcialium originem fluxisse haud dubium est. Etenim cùm hominum generi diuinum illud munus rationis Deus Optimus Maximus concesserit, credibile est homines vbi distincta fuerunt rerum dominia, eaque à vicinis progressu temporis vsurpata, per fęciales & legatos sicuti decuit primùm repetiuisse: Nec nisi propter contumaciam & pertinaciam vicinis bellum mouisse.

Hesiodus. Horatius.

Libro 4. Quanquam primam Legatorum originem Bello tribuat Isidorus, qui primus duos legatos misisse fertur, quorũ alter diceret & enuntiaret, alter verò testaretur cũ Poëtæ eandẽ Pallamedi vt & relinquã militarem

Libr. 15. cap. 8. disciplinã adscribant. Quinetiã Iosephus à Deo ipso Legatorũ originẽ repetit qui ob id Angelos creauit vt hoc apud se munere fungerentur. Sed hominibus otiosis ac feriatis relegata hac quæstione, vtiliora & huic nostro instituto accommodatiora meditemur. Ordiendum igitur ab electione quandoquidem eli-

gitur antequam mittatur, in quo præstando singulas virtutes in eo qui legati partes sustinere velit necessarias ostendere, ac sigillatim exponere oportebit, subinde huius delecti viri priuilegia nobis ponenda erunt, tum bonis auspiciis legatio ordienda, & ad exitum perducẽda. In quo præstando nihil eorum prętermittam quę ex bonorum authorũ lectione profecta ad informandum hunc magistratum pertinere mihi videbuntur. Non enim is sum qui tantum mihi arrogem vt quod primum in mentem venerit id legato statim faciendum consulam, aut qui certas leges ac regulas ex libidine & animi sententia tradere velim, verum præcepta ex antiquorum monumentis eruenda, nec non exemplis confirmanda. Nam legatus, ciuitatis, reipublicę, imperatoris qui eum miserit personam sustinet, publica negotia publico nomine gerit omnes ex æquo obstringit. Itaque qui ei bene consultum velit reipublicæ consulit: Non ergo prauis ac futilibus consiliis illudendus.

Verùmenimuero cum legati ex officio publica negotia tractent, vniuersamque rempublicam sine restitutionis spe ac venia constringant: Danda opera est ne quem sors tulerit non cognita aut probata eius virtute legatum designemus: Sed delectus adhibendus, summaque in deligendo cautio: Siquidem & in priuatorum actionibus non cuilibet indiscriminatim negotia committuntur. Sed hominibus solertia, labore & industria pollentibus, necnon longo rerum vsu & experientia confirmatis. Quinetiam delectum in legatis designandis adhibendum ipsa nomi-

Budæus annotat in π.

nis descriptio satis indicat. Etenim legati à legendo dicti sunt, quod publicè lecti mitterentur, vt ait Varro. Sicuti præstantes viros etiam egregios & lectissimos vulgo dicimus, & Græci non alia ratione ἐκκρίτους προκρίτους ἢ ἀπολέκτους vt obiter etiam moneam alia nominis ratione apud nos Ambassadores dici ἀπὸ τοῦ ἀμβαδίζειν quod mittere est, vt & eosdem ἀγγέλλους eadē nominis Ethymo dicere possemus. Sed non ita lectos velim vt qui plus potentia, authoritate, opibus, aut etiam fauore apud principem valeat, legatus statim designetur: Alia sunt symbola, aliæ conditiones, aliæ virtutes, quæ in futuro legato ex officio requirantur, vtpote morum integritas, eruditio, politeia ac vno nomine & vt paucis multa complectar, omnes animi corporis & fortunæ dotes, actionúmque humanarum vsus & experientia, sine quibus hoc munus commodè sustineri non potest! Magna hæc quæ requiro etiam prima fronte videntur. At si propius attendas longè maxima sicuti deinceps clariùs patebit. Et quæ non nisi in summum multæque ætatis virum cadant. Sed vt à me commodiùs & planiùs ista exponantur, intelligendum est in futuro legato bonorum animi, corporis, & fortunæ, concursum esse debere. Vt que Neocles in vterum matris Epicuri omnes Atomos sapientię concurrisse dicebat, Ita in hunc omnes Naturæ rariores dotes conspirasse vęlim.

Cùm bona animi dico, virtutes morum in inferiori sede collocatas, ipsosque mentis habitus scientiam, prudentiam, sapientiam, intelligentiam, & artem intelligo. De quibus non necesse habeo plura dicere,

præſertim cum Ariſtotelis & Platonis monumenta eas vberrimè perſequantur & exponant. Quinetiam quod ad virtutes morum attinet non tam in præceptis rationúmque ponderibus ac momentis conciſtunt quam in actione aſſiduóque vſu quas ob id πρακτικὰς ἀρετὰς vocant eaſque nec doceri nec diſci poſſe. *Epictetus.* Nonnulli tradiderunt μὴ γὰρ ἡ ἀρετὴ τοῦτ' ἐστὶ πολλὰς χρυσίππου συντάξεις ἀναγνωκέναι. Nec magis præcepta morum ſine vſu & exercitatione iuuant, quam lyppum pictæ tabulæ fomenta podagram, itaque non eſt huius loci plura dicere. *Aristotel. in Eth.* Legati etiam à Latinis Oratores dicuntur: Sed eloquentia non ex λογοδαιδαλία quadã ſed ab eiuſmodi animi habitib⁹, tanquã ab vberrimo fonte arceſſenda, vt pote à multiplici rerũ ſcientia & doctrina. Memini legere me patrem Eloquentiæ Tullium dicere ſollicitum, ſe non ex ſtrepitu forenſi, ſed ex Philoſophorum ſcolis, vepribus, & dumetis oratorem euaſiſſe. Hinc Socrates dicere ſolebat, omnes in eo quod ſcirent ſatis Eloquentes eſſe neque quenquam diſertum eſſe poſſe in eo quod neſciret; Atque ob id ſummi quondã oratores ſeſe Phyſicis erudiendos tradidere Pericles, Anaxagoræ, Demoſthenes, Platoni, Idem Tullius, Philoni, Diodoro, Poſſidonio. Vt intelligant hij qui reges ac proceres circunſtant, ſola linguæ volubilitate clari nullaque rerum ſcientia exculti, illis non eſſe hoc munus legationis ambiendum nec obeundum ſicuti ſæpius faciunt non reipublicæ ſed lucri potius cauſa, verum doctis & eruditis relinquendum, quibus olim in virtutis & doctrinæ præmium magiſtratus ac dignitates deferebantur, nunc

vero propalam auxioni & quaſi voci præconis ſubiiciuntur. Si mihi hoc in loco eos omnes qui in hoc legationis munere claruerunt recenſere liceret omnes intelligerent eos doctrina & eruditione plurimũ polluiſſe, atque hinc ſummam in dicẽdo laudem cõſequutos fuiſſe. Nihil neceſſe habeo Carneadem Critolaum, Diogenem quorum doctrina & eruditio nedum eloquentia apud Ciceronem non obſcurè cõmendatur: Nihil neceſſe Cyneam nobilem illum Pirrhi legatum, qui Herculis Gallici inſtar omnium animos facunda & diſerta oratione rerumque ac ſententiarum põdere librata, ſic quoquo vellet pelliciebat, vt Pirrhus eius opera plures ſeſe vrbes recepiſſe, quã catafractorum viribus & impetu ſępenumero gloriaretur. Quid Demoſthenẽ? Quid Vlyſſem? Quid Neſtora? quos non minus eruditio quam eloquentia cõ-

L. 4. ϖ. de excuſ. tut. mendat. Hinc merito Grammaticis & Sophiſtis legatione interdicitur qui verborum floſculis nulla rerum ſcientia pollent. Et ſanè quiſquis ſine rerum ſciẽtia ſe diſertum oratorem, aut legatum futurum putat, toto quod aiunt aberrat cœlo nec vnquã niſi garrulitate & linguæ vollubilitate valebit, temereque quicquid in buccã venerit effutiet non abſimilis Therſiti

Aulus Gellius. futurus quẽ Homerus ἀμετροεπῆ ἀκρότομυθον appellabat λαλεῖν ἄριστος ἀδυνατώτατος λέγειν. Sed de eiuſmodi loquuleis ipſiſque animi virtutibus plus ſatis, nunc corporis & fortunæ dotes exponamus.

In Legato corporis & fortunæ dotes requiri.

CAPVT II.

NIHIL hic horrida Stoicorum placita moror, quibus sola animi bona verè bona sunt, cætera ne in genere quidẽ bonorum. Ex quibus hæc absurdiora fluxerunt, sapientem lædi non posse, Cænei exemplo qui apud Pindarum sagittis confixus non sentit, Sapientem deformiorem Tersite, tamen Adonide aut Ganimede venustiorem, Sapientem cilicernium, edentulum, glabrum, rugosum, nihil de venustate perdere, aut dum mendicat Iroque pauperior est Crœsum aut Crassum oppibus antecellere, & eius generis infinita monstra, quæ tamen in scholis etiam cum applausu recipiuntur. Si cum doctis & eruditis in literario otio noster hic legatus perpetuò versaretur, non hic tantum apparatum tantùmque satellitium exigerem, solæ animi virtutes mihi inst ar omnium essent: At in oculis, in ore omnium, & in publica luce versatur, regnum pallatia, forum, comitia frequentat, vbi magna ex parte interiores animi virtutes ludibrio habentur, nisi ad eas bonorum corporis & fortunæ accessio fiat, sine quibus vt aiunt ipse virtutes languidæ sunt nec suas functiones luculenter exerunt. Non est huius ætatis lacerum & flebilem virum, attamen virtute & doctrina clarum venerari, Phæacum exemplo qui Vlyssem diù multúmq; procellis agitatum, nudum, in suoque littore proiectum multo cum honore prosequuti sunt. Hęc ætas solos di-

Plutarchus.

Homerus.

uites, Cæſaris candidatos, Thraſones ac Holoſericatos ſuſpicit, vt nemini ſtomachus moueatur ſi in legato quem vbique locorum anguſtum & venerabilem eſſe velim, eiuſmodi acceſſoria quæ, vt dixi, hoc tempore ſortem ſuperant, ſumma animi contentione deſiderem. Qui tam rigidi ſunt ac tetrici nullam vt temporis rationem habendam putent, nihilque vt corporis aut fortunæ bonis tribuant, hoc caput per tranſennam & perfunctoriè prætergrediantur, aut omninò certè non legant. Non enim ſicuti Tullius in ſuo oratore facit, quod in rei veritate, ſed quod in hominum opinione verſatur mihi conſiderandum eſt, hominibuſque ſicuti leſbia amuſſis corporibus, hæc diſputatio refferenda eſt. Corporis dotes voco ſanitatem ſine qua nihil homini beatū eſt, vt cæcinit Orphæus vt non mirer Metrodorum in proſpera valletudine hominis fœlicitatem collocaſſe. Eam ob rem valetudinariis legationis munere interdico hiſque duntaxat per me bene ſperare liceat, qui animi & corporis conſtantes vires habent, quique omnes externas aëris iniurias ferre ſine ſanitatis diſpēdio poſſunt, vt non mirer T. Manlium Torquatum conſularem dignitatem ob ſolam oculorum valetudinem derrectaſſe, quod indignum diceret ſibi vitam ac fortunæ ouium committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur. Ad hoc album refferenda etiam eſt pulchritudo non illa muliercularum quam mangonica arte ſibi conciliant vt pote ceruſa aut calamiſtro quamque permulti cū maxima virilitatis iactura mentiuntur, ſed ea quæ in legitima omnium partium cōformatione eſt, vtpote

Lib. de perfect. orat.

in

in magnitudine, numero, figura, & situ. Hinc ergo procul monoculi, hinc cæci aut surdi, quibus & iure ciuili iudicis partes sustinere itemque postulare interdicitur. Hinc denique insigni aliquo corporis vitio notati, qui prætoris edicto redhibitorij sunt, ne derisionis & cachini ausam potius præbeant, quàm quicquam dignum laude in hoc munere gerant. Præsertim cum longè plurimi id persuasum habeant, eiusmodi vitia, vitiorum etiam animi inditia esse, omninóque Deum Optimum Maximum excelsis mentibus præclara domicilia architectari solitũ, sicuti metatores itinerum videmus pręclara hospitia heroïbus signare. Nihil hîc de iusta corporis magnitudine mihi dicendum, non hic pygmęi aut gygantea proceritate prędìti nominatim perstringendi, aut excludendi veniunt. Nam cum superius iustam omnium corporis partium conformationẽ, pulchritudinem nominaui, ex hoc ordine homunculos ac gygantes remoui. Nec verò absurdum fuerit hic aliquid de iusta ætate dicere, siquidem alia sunt aliarum ętatum munera, nec iuuenes eodem in munere in quo senes rempublicam iuuant. Nam vt discretę sunt ętates, ita distincti sunt honorum ac dignitatum gradus. Legitimam ętatem Iurisperiti dicunt, quę est viginti quinque annorum. Sed illam ad actiones ciuiles aut ad minores magistratus refferunt. Nobis vero legitimam ætatem ad publicas actiones, vtpote ad insignia illa reipublicę munera dirrigentibus, alius etiam legitimę ætatis terminus est collocandus. Nec vereor quidem

in π. de postul. de iudic.

in ϖ. de ædilic. edict.

Dictum Chrysippi.

ne quis mecum de termino moto agat. Non enim mihi hac in parte fautores,& authores deerunt,qui me hoc crimine vindicabunt. Certũ eſt enim ad conſularem dignitatem apud Romanos,nemini aditũ patuiſſe,ante tertiũ & quadrageſimũ annũ. Eoſque ſæpius repulſam paſſos,qui ſuo anno vtpote quadrageſimo tertio,hũc honorẽ petiiſſẽt qui verò paulò ſerius ſine repulſa ad cõſularem dignitatẽ promotos fuiſſe. Huic Qu. Fuluio Flacco,& Manalio Acidino coſſ. à L. Iulio tribuno pleb. diẽ dictã legimus quod ante legitimã ætatis conſularem dignitatem gererent. Sed hoc certius eſſe velim, prouectiores ætate ad hoc munus obeundum longe aptiores eſſe, illud quæ quaſi ſuo iure vendicare poſſe. Vt non mirer Græcos qui in ὀνοματοθεσίᾳ ac nominum impoſitione valdo admirabiles fuerunt, ſenes & legatos πρεσβύτας eodem nomine appellaſſe, hoc argumento, quod legati ſenes eſſe ſuóque iure legationem obire debeant. Sicuti olim Romanos ſuos ſenatores à ſenio appellaſſe ſcitum eſt, & Lacædemonij ſuo ſenatui τῆς γερουσίας nomen impoſuere quod in hunc ordinem, non niſi ſeniores adoptarentur, ſicuti ſummus author Ariſtoteles literis prodidit. Quod vero idem author, Lacædemoniorum inſtitutum reprehẽdit, quoniam inquit, τῆς διανοίας ὥσπερ καὶ σώματος γῆρας ἐστι, hac iuſta reprehenſione vſus eſt, quod videret ſolos deliros ſenes & repueraſcentes in hunc ordinem cogi, quorum mentis acies hebeſcit, memoria debilitatur, rationiſque diſcurſus vt plurimùm, hallucinatur. Idque ſolo organorum

Demoſt. in orat. περὶ παραπρεσβείας.

Lib. 2. Polit.

vitio etenim mens æterna atq; ob id impatibilis manet. Cumque ſicuti ſcite Epicharmus νοῦς μόνος ὁρᾷ καὶ ἀκούει τὰ δὲ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά. Attamen corporeorum inſtrumentorum miniſterio indiget, ſicuti artifices videmus, vt aliquod opus conficiant. Ego verò eos ſenes intelligi velim, qui crudam viridémque ſenectutem attigerunt, quam veteres rebus agendis aptiſſimam agnouerunt, non eos qui emeritis ſtipẽdiis mitti debent, quíque iure ciuili muneribus publicis liberantur. Nam vt recte Plinius extrema tempora nobis impertiri debemus ſicuti leges monent, quæ ſenem otio reddunt. Sic & M. Varro indignum eſſe ait, poſt quintum gradum ætatis ſeſe publicis negotiis immiſcere. Nec verò ita moroſus, aut ceruicoſus eſſe velim, vt ſi ſenes ad hoc munus ſuſtinendum deficiant, nihil tamen de rigore deponendum, iunioribuſque omnem aditum præcludendum putem: præſertim ſi naturæ quadam bonitate ante tempus, eas quas dixi animi dotes adepti ſint, ad eaſque cætera bona, quaſi pro ſatellitio acceſſerint. Etenim indignum eſſet ab Egregia indole progreſſum annorum expectari. Vt enim precoces fructus qui ὡράιοι appellantur longè celeriùs maturantur & corrumpuntur. Ita eiuſmodi ingenia celerius promouentur ſuáque tempora ocyus percurrunt. Hoc conſilio complurimis olim propter egregias animi dotes, in reipublicę adminiſtratione à veteribus indultum eſt.

Arist. li. polit. c. 1.

l. 2. ϖ. de excus. tut.

lib 4. epist.

Lib. 3. de vita pop. Rom.

Etenim Vallerium Coruinum, C. Marium, Scipionem Affricanum, Pompeium Magnum, Octauium

Augustum, compluresque alios ante tempus consules factos legimus, vtpote tertio & vigesimo ætatis anno cum legitima ætas, vt antea dixi, trium & quadraginta annorum esset. Quod eo lubentius facio cum videam in hoc munere multa perferenda, quę magis sunt constantis & vallidę ętatis, quam inclinantis, ęstũ dico, frigus, pruinas, labores, vigillias insollitas, nauigia, nausęas, victusq; vernaculi, nec non aëris subitas mutationes, quę optimã corporis constitutionẽ afficiunt, multò magis senem in quo minus est renitentię ac virium. Nec tamẽ iuuenes mittendos duxerim, quanquam olim etiam missos legamus, nostroq; ęuo, cum ad imperatorem orientis imberbes missi essent, cumque indignaretur imperator, quod ad eum adolescentes quasi in opprobrium missi essent: eorum alter intrepidè respondit ex πωγωνοτροφία & vultus inspectione, de hominibus & eorum doctrina iudicium non esse ferẽdum, hoc si fieret, hircorum quam hominum meliorem conditionem fore. Sed tamen si ad veritatis calculum tota hęc controuersia subducatur, non dubium quin forma, quæ ex aspectu corporis elucet, in legato sit imprimis necessaria, ac multò magis ætas, quæ barbam profert. Si modo verum est illud poëtæ, Barba viros hirtæ que decent in corpore setæ. Et tamẽ pręclarè, meo quidem iudicio, cum republica ageretur, si cum venerandæ ætatis legato delecti aliquot, & bonæ spei adolescentes mitterentur etiam stipendiis regiis, qui exterorum idioma, mores, instituta ediscerent: arces, portus & vrbes inspice-

rent, in quibus vt in ſemente poſita eſt ſpes meſſis, ſpes aliqua reſideret permittente ætate & legatis ſenio feſſis, eos tædas ardentes accepturos, & legati partibus præclarè functuros, nec enim placet quod vulgò tamen factitatur eum legatum deſignari, qui nunquam patriæ lumen egreſſus fuerit, aut qui totius vitæ ſpatio ſeſe literis abdiderit, aut qui tranſuerſo duntaxat foro ambulauerit. Sic quondã ſenatores Romani, liberos ſenatui aſſueſcebant, eoſque in ſenatum deducebant.

De fortunæ bonis. CAPVT III.

SINT quãtumlibet Academicis ἀδιάφορα fortunæ bona, mihi certè in bonorum genere collocanda veniunt, & in futuro legato neceſſaria videntur. In quorum genere neſcio an nobilitatem, quę vulgò iactatur, refferre debeam. Nec me latet veram nobilitatem à virtute tanquam à ſtirpe repetendam. Sic enim Ariſtoteles aliique complures εὐγένειαν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς fluxiſſe aiunt: Itaque cum de animi dotibus dixi, vna eademque opera de nobilitate dicendum fuiſſet. Verùm cum nobiles contemporanei, nõ à virtute, ſed à proauorum & attauorum ſemine & ſanguine, omiſſa virtute, ſua nobilitatis inſignia repetant, non abs re ad corporis virtutes generis claritatem reiicere potuiſſem. Nouiſſimè cum videam proletarios quoſque, etiam gregarios & de fæce, nobilitatis inſignia captare, ea ſibi vendicare, quinetiam vſurpando pręſcribęre, eaque aut fauore

Ariſtot. in ethicis.

principum, aut honoribus, aut facultatibus parta quæ fortunæ subiacent, cõmodius factur ũ me duxi, si posteriori in classe bonorũ, nobilitaté quæ hoc tempore fermè adulterina est, reiicerem. Si quando natalibus restituatur, aut quæ hoc tempore exulat post liminio reuertatur suo loco debitòq; honore non priuabitur.

Lib. 4. Verùm vt Halycarnassæus conqueritur de facilitate qua serui libertate & ciuitate donabantur, vt pote in præmium rapinarum, stuprorum & lenocinij, postulatque Magistratum aut Censorem, qui quibuscunque de causis vnusquisque aut manumissus, aut ciuitate donatus sit, diligenter exquirat: Eundem Censorem longè iustius hoc tempore desideraremus, qui diligenter vniuscuiusque nobilitatis insignia & stemmata exploraret. Quam multi Deum immortalem exauthorarentur & ordine mouerentur? Sed tamen nobilissimus quidem futurus est legatus, si eas quas dixi animi dotes habuerit: At quia plus est in hominum opinione, quàm in re ipsa, talem ab omnibus videri & agnosci necessarium, summámque apud vulgus de eius nobilitate conceptam opinionem esse oportet. Etenim principes fermè omnes vbique locorum homines dispositos, ac veluti transfugas habent, quorum ministerio & literis, non modo quid illic geratur, aut quid captetur consilij rescifcant, sed & stirpes eosque omnes qui apud reges, gratia & fauore pollent intus & in cute agnoscant: Ne dicam ipsos nõnunquam indigenas mercede conductos patriam prodere, ipsaque reipublicæ consilia externis princi-

pibus propalare. Ex quo futurum est, vt si legatus obscurus, & non satis perspectæ famæ & illustris familiæ mittatur, qualis fuit Barbitonsor ille quo legato, Ludouicus vndecimus vtebatur, paruo quidem in honore ac pretio apud exteros habeatur, suúmque legationis finem non facile consequatur.

Maximum enim in persuadendo præiudicium adfert, concepta de eo qui dicit virtutis, doctrinæ, & nobilitatis opinio, vt ab Aristotele proditū est. Quid honores ac dignitates commemorem? sane qui legati personam sustinet, satque superque clarus & augustus est, adeò vt ad hanc dignitatem aliarum accessionem fieri non postulem. Ex re tamen erit eum qui mittetur aliàs reipublicæ clauum tenuisse, neque in hoc munere tyrociniū facere, & à dollio, quod aiūt, figulinam auspicari. Supersunt facultates ad conseruandam & retinendam legati dignitatem pernecessariæ. Nec me mouet regia legatis stipendia indici, Attalicasque conditiones proponi, quibus se totamque familiam sustentare, viaticumque curare possint: Etenim multi alij sumptus perferendi, multæ largitiones cum rei familiaris dispendio legatis exercendæ, sine his legatus solus futurus est, sine satellitio, sine comitatu: Etenim Magnatum pallatia frequentantur, & in eorum familiam quisque ardenter adoptari concupiscit, lucri odore, necnon culinæ nidore. Præterquam quod legatorum stipendia aut temporum iniuria supprimuntur, aut rapinis intercipiuntur, aut quæstorum dolo, vel negligentia retinentur, adeo vt

In Ret. ad Theodec.

vrgente necessitate non suppetant.

Nec illud silentio prætereundum, facultatũ inopiam ad prçuaricandum legatis maximam ausim præbere, vt interim necesse sit legatum turpiter victum queritare, aut ad singultum fame enecari, si aliunde facultates non obueniant. Nam vbi rei familiaris angustia est ibi fermè omnia vçnalia esse solent. Si legato facultates ex voto non suppetant, contra iusiurandum fidémque principi datam prçuaricabit, exterorũ principum munusculis inhiabit, hinc inde lucrum captabit, & quoslibet adulatorum more prehensabit, nihil denique prçtermittet ex quo se vtilitatem percepturum arbitretur. At si legato opes & facultates supersint, suam authoritatẽ luculenta festiuitate retinebit, nec precibus nec muneribus mouebitur, sed fidelitatem iureiurandó promissam, nec non debitum silẽtium ac taciturnitatem seruabit: Veritus ne si proditionem aut prçuaricationem admisisse conuincatur, ex iure in eum agatur, eius bona fisco adiudicentur, eiusq; nomen & familia damnetur.

Legatos inter arma hostium sacrosanctos & inuiolabiles. CAPVT IIII.

MEMINI legere me apud Aristotelem in politicis, Egregios prçstantesq; viros heroũ instar ac deorũ colendos, omniq; honore afficiendos; vtpote qui supra communem hominum sortem erecti, in eo statu sint, vt non

non legibus ſtatutiſque obnoxij, ſed ſupra leges ac potius νομοθέται ac legiſlatores exiſtant. Cuius ſententia, ſi hoc quoque tempore locum haberet, ſuperuacaneum videretur hic legatos ſacroſanctos, ac venerabiles oſtendere, pręſertim cum iam noſtrũ oratorem virtutibus prędituũ, cæteriſque ornamentis cumulatũ reddiderimus, quibus homines plurimum tribuere debeant, eumque iam quaſi candidatum & deſignatum, ad hunc honorem ſuſtinendum habeamus.

Verũtamen, quoniã huius ſœculi homines non tantum virtuti quantum Ariſtoteles tribuunt, virtúſque ipſa per ſe non ſatis firmis præſidiis ad arcendam omnem iniuriam fulta eſt, ſed omnium calomniis expoſita niſi honorum ac dignitatum præſidio ſtipata ſit, adeò vt plus dignitatibus quam virtutibus tribuatur, conſentaneum eſt noſtrum hunc delectum virum legatum nominare quo apud ſuos & exteras gentes illuſtrior & auguſtior appareat. Nec abs re tamen dignitatibus ac magiſtratibus tantus honor deffertur: Etenim quæ in priuato homine virtutes quaſi ſopitæ iacent, eædem in magiſtratu quaſi excitatæ, Et in editiori loco poſitæ, clariùs elucent, ſummámque ſic ſui admirationem, ſummùmque amorẽ excitant: vt non mirer vnum ex Greciæ ſapientibus dixiſſe τὰ ἀρχὰ τὸν ἄνδρα δείξει. Non ſecus quam clitellariorum iumentorum robur impoſita onera pateſaciũt. Hoc ergo vnicuique notum eſſe velim, legatum ſiue inter ſuos ſiue inter exteros, ipſaque hoſtium tela ſacroſanctum inuiolabilémque eſſe, vt qui eum percuſſe-

rit, pulsauerit, vel etiam verbo offenderit, (quod non solum de eius persona sed de tota eius familia, vniuersóque comitatu dictum velim) iuris gentium, omniaque humanę societatis iura violasse videatur. Sancti autem vel sacrosancti legati ea ratione dicuntur, qua regis nomen apud Romanos sanctum fuisse à Cicerone dicitur, aut qua ratione muri ciuitatis sancti dicuntur: non à sagminibus quidem, vt vult Marcianus, sed à sanciendo quod punire ac vindicare est. Nam cũ ciues non alia via quàm per portas vrbem ingredi vel egredi debeant, qui muros ciuitatis transcenderit, violaritque, capite sanciatur plectatúrque. Atque ob id fraterno primum maduerunt sanguine muri. Non dissimili ratione qui legatum quoquo modo violauerit puniri debet. Sed quænam pœna irroganda, quodnam ve supplicium de violatore sumendum esset, à veteribus quondam quęsitum est. Quintus quidem Mutius summus Iurisconsultus, cuius domus oraculum ciuitatis vulgò dicebatur, cum eadem de re rogaretur, qui legatos violasset traditione, aç deditione, plectendum respondit, quo legatus suo iure arbitrioq; in eum animaduerteret. Quam rationem præfractè veteres Romani tenuerunt, sicuti Marcus Varro, Plutarchus, Cicero, Liuius, Vallerius, compluresque alij tradiderunt. Hinc apud Nonium Marcellum legimus viginti fæciales institutos, vt si cuius legati violati essent, per eos qui id fecissent, quamuis nobiles dederentur. L. Minutius L. Manlius in comitiis legatos Carthaginiensium pulsauerant quam ob iniu-

In orat. pro lege Manil.

in ϖ. tit. de rerum diui.

in π. tit. de legat.

riam, communi omnium voce ac suffragiis legatis traditi sunt, vt Liuius mandauit. Eandem sententiarum seueritatem Qu. Fabius, & Cn. Apronius ædiles passi sunt, quod Apolloniorum legatos pulsassent, commeatusque legatis datus, ne dum legationem perficerent ędiles illis eriperentur: Sicuti in primis vrbis Romę cunabulis Tatius, quanquã non impunè, eos qui ob iniuriam Laurentiorum legatis illatam dediti fuerant, extorserat. Iul. Cæsar non modo fœdus cum gallis percussum, sed ipsorum etiam legatos violarat, tantam tamque nephariam iniuriam cũ senatus resciuisset, cumque Marc. Cato sententiam rogaretur, vt pro more Cæsar etiamnùm imperator hostibus traderetur, censuit, vt in Cæsare Plutharchus commemorat. Nec minus Lacædemonij, legatis contra ius & æquũ violatis satisfecerunt. Summus Persarum imperator, suos oratores Spartam miserat, qui concitata seditione, & populo in furorem acto, adeò tumultuanter oppressi sunt, vt quis vulnerasset aut occidisset non satis liqueret, sicuti per dumeta & densissimas spinas incedentibus, non facile dictu est quænam pupugerit: Imperator ex iure deditionem vrgebat, & violatores ad supplicium deposcebat: Cum Buris & Spertes duo Lacædemonij cædem professi sese vltro pro noxa obtulerunt, & vt pro more traderentur postularunt, quo violatæ legationi hospitalíque Deo satisfieret, scelusque perpetratum suo sanguine expiarent. Ex quibus colligere est apud antiquos summo semper in honore legatos fuisse. Quod si aut inscienter

aut dolo malo,& ex compoſito, vtpote ſeditione ſuborta violarentur, ſicuti nihil omni ex parte beatum, & ab iniuria tutum eſt, non modo eos qui miſiſſent ſed & Xenium Iouem iniurię illatæ ſemper acerrimos vindices fuiſſe certum eſt. Quod ſi qui violatæ legationis ſcelus expiare, vtpote noxæ traditione detrectarunt, ſicuti nonnullos pertinacia & obſtinatio mirum in modum detinet, eos ſemper pœna ſuppliciumque conſequtum eſt. Teſtes mihi ſint Sibaritæ qui cum Crotoniatarum triginta legatos occidiſſent, & ante mœnia inſepultos proieciſſent, futuræ & imminentis calamitatis à Xenio Ioue oraculum acceperunt. Nec ita multo poſt aut occiſi, aut ſub iugū miſſi ſunt, idem etiam Corinthus teſtabitur, quæ ob iniuriam Romanorum legatis illatam vtpote deiectione & effuſione, L. Minutio conſule dirruta eſt, vt à Polybio & Cicerone cōmemoratur. Eandem ob cauſam illyricum bellum inceptum eſt, cui L. Mummius conſul præfuit. Sic & belli contra Anthiocum, Cn. Octaui Romanorum legati Laodiceæ perpetrata à quodam leptine cędes initium dedit. Sic Megarenſes quod Anthemocritim fęcialem violato iure gentium occidiſſent, ab Athenienſibus myſteriis prohibiti ſunt. Sic & eadem belli cauſa contra Fidenates & Veientes, quorum Rex Lar. Tolominus quatuor Romanorum legatos occiderat Tullum Cliuium, L. Roſcium, Sp. Manlium, & C. Flaminium, vt ſcribit Tullius ſeptima Philippica & Liuius libro octauo decadis quartæ. Sic & in ſacris paginis, iniuria illata Dauidis oratoribus

Athenaeus libro 12.

Pauſanias libr. 1.

Ammonitas perdidit, vtpote quod eorum vestimentis, barba & capillis partim scissis & dissectis eos ridiculè & contumeliosè remisissent. Sic & apud nos vlciscendæ legatorum iniuriæ causa multa bella orta sunt. Etenim Franciscus primus eo nomine aduersus Sfortiam Mediolanensium Ducem, necnon aduersus Carolum quintum Imperatorem arma mouit, vt cætera alia breuitatis causa prætermittam. Nec verò minus alacres in beneficiis agnoscendis, quàm iniuriis vlciscendis veteres fuerunt, ea non tam in legatorum personas quam in rempublicam collocata reputantes. Cuius rei testis locupletissimus nobis erit Thimasiteus quidam Lyparensis qui cum legatos Romanorum è manibus Pyrratarum eripuisset, saluosque & incolumes Romam reduxisset, non modo publico hospitio exceptus, sed cũ muneribus publico que iure hospitalitatis missus fuit. Sic & in vrbis Hierico dirreptione toti familię Iesabel indultũ est, quod Iosue legatos ab iniuria seruasset vt sacræ historiæ monent.

In apomnimoneumatis Langei.

Liuius.

De priuilegiis Legatorum. CAP. V.

APVD antiquos dubitatum & anxiè disputatum video, an priuilegia præstantissimis viris & de republica bene meritis irrogari deberent: Nam quoniam nos nostráque omnia patriæ quæ in sese charitates omnes complectitur debemus, si quid præclari quod è re eius sit gesserimus, non est quod laboris mercedem

aut honoraria ſperemus : Id honori ducentes noſtro nos erga rempublicam munere probè & gnauiter functos fuiſſe. Quinetiam cum ſocietas omnis legum & morum æqualitate diutiſſimè conſeruetur, vtpote cum ſummi atque infimi pari iure iiſdem que legibus retinentur diſſoluatur verò citiſſime cum leges aranearum telis ſimiles exiſtunt, certè cum priuilegia legibus obſiſtant, priuatóſque à legum obſeruatione ſoluant, meritò de immunitate nemini concedenda ab Imperatoribus cautum eſt ipſiſque tabularum legibus *Priuilegia ne irrogantor*, vt refert Tullius tertio de legibus. Quam legem multo antè apud Athenienſes receptam fuiſſe colligere eſt ex Demoſthenis oratione contra Timocratem, vbi ex profeſſo priuilegia damnat, quod leges non in ſingulos ſicuti priuilegia quæ priuatæ leges exiſtũt, ſed in omnes Athenienſes indiſcriminatim promulgari debeant.

l. 1. C. de immunitate nem. conced.

Verumenimuero quoniam in nobis patriæ amoris igniculi fermè ſopiti ſunt, ſeminariaque extincta. Quoniamque nullus eſt, qui non publica negotia poſtponat ſuis, non abs re rerumpublicarum moderatores ſingulos ad publica onera, & ad de republica bene merendum propoſitis honorariis ac priuilegiis accenderunt. Scitum eſt illud Solonis ex quadam Ciceronis epiſtola ad Brutum duobus potiſſimum vinculis rempublicam contineri præmio & pœna vt & illud Democriti apud Plinium, duos omnino Deos eſſe ac genios reipublicæ optimos moderatores præmium & pœnam. Addendum & illud Antiſtenis im-

Lib. 2. de natu. hiſt.

minere rebuſpublicis ruinam, in quibus nullum proborum & improborum diſcrimen adhiberetur, nullaque aut virtuti merces, aut peccato pœna irrogaretur, ſicuti & à Stoïcis præclarè legem deffinitam fuiſſe, virtutū commendatricem, & vitiorū emendatricem: Quare non inconſideratè multis Senatuſconſultis, Imperatorúmque conſtitutionibus, his qui rempub. magnoperè iuuiſſent priuilegia cōſtituta ſunt. Quanquam olim non niſi centuriatis comitiis irrogarentur. Quod etiam apud Græcos factitatum eſſe Demoſthenes in oratione περὶ ἀτελείας luculenter exponit. Neque verò quiſquam eſt cui iuſtius præmia ac priuilegia tribui aut concedi poſſint, quam noſtro huic legato qui infinitis vitæ ac ſalutis diſcriminibus reipublicæ cauſa ſeſe exponit.

Sed de Legatorum priuilegiis cum ſuo apud exteras gentes munere fungūtur ſuperiori capite dictum eſt, cum eos auguſtos & ſacroſanctos etiam inter ipſa hoſtium tela probauimus. Indignum verò ac iniquum foret, eiuſmodi eos priuilegiis inter ipſos hoſtiles gladios frui, nulla verò prorſus apud ſuos à quibus & in quorum vtilitatem mittuntur illis ſtatui: Quare quibus domi priuilegiis gaudeant, ſiue legationis tempore, ſiue eadem confecta reſtat exponendum. Illud verò omnibus qui reipublicæ cauſa abſunt Iure ciuili conceditur, vt quamdiu ſuo munere funguntur, iudiciorum aleam ſubire non cogantur. Sic enim M. Tullius in ſua pro Sexto Roſcio oratione, & Vall. Maximus legem Memmiam commemorant, quæ eorum Libr 3. cap. 7.

qui reipublicæ cauſa abeſſent recipi nomina vetabat: Quod etiam in Pandectis & Codice paſſim occurit. Et tamen à nobis vno vel altero exemplo confirmabitur. Etenim Suetonius in vita Cæſaris narrat, eum cum Gallias regeret à L. Antiſtio tribuno plebis, inter reos delatum fuiſſe, cuius tamen accuſationem ſenatus reiecit, quod nefas duceret eum, qui reipublicæ cauſa abeſſet, abſentem de capite fortuniſque, omnibus periclitari, eiuſque accuſationem recipi. Sic author eſt Cicero, quarta actione in Verrem: Notatum fuiſſe Cn. Dolabellam & eius arbitrium ſenatuſconſulto improbatum, quod dum prouinciam regeret Philippum Dauum Opuntium abſentem, & legatum damnaſſet. Verremque idem author acerrimè inſectatur, quod abſentis Stenij nomẽ deferri paſſus eſſet. Sed tamen ne eiuſmodi ex priuilegiis iure conceſſis iniuriæ naſcerentur, identidem lege cauebatur, ne quis ſuæ rei legatus eſſet, vtpote in fraudem creditorum, & ad protellendas controuerſias ſicuti eam legem interpretatur Tullius, quam paſſim in digeſtis etiam confirmatam video. Nam ei qui ære alieno ob-

in π. tit. de legatio. ſtrictus eſt legatione interdicitur. Et qui libera legatione abeſt non videtur reipublicæ cauſa abeſſe. Verùtamen eiuſmodi priuilegium iis qui in gratiam & fauorem reipublicæ abſunt damnoſum eſſe non debet. Nam ſi de eorum vtilitate agatur iuris preſum-

l. 30. & 86. in π. de acquir. vel omitt. heraid. ptione nõ abſunt. Nam eis per negotiatorẽ aut mandatarium acquire, ſuáque ſi velint Iura perſequi, & vſucapione præſcribere poſſunt, quam nullus niſi à die re-

die reditus & obitæ legationis vsurpare aut interrumpere possit. Quinetiam nobis iurisconsultorum monumenta euoluentibus, aliud legatorum priuilegium occurrit. Eum videlicet qui legatione functus est intra triennium ad aliud publicum negotium compelli nō posse. Atque etiamnum hoc tempore celebres & eruditi viri, qui legatione functi sunt eadem fermè priuilegia obtinent, quæ & senatores qui in sanctiori regis consilio admittuntur. Quin & legatione redeuntibus & quasi ouantibus senatoria dignitas in prçmium virtutis & laborum in illo augustiori & sanctiori regis consilio magna ex parte deffertur.


in π. de legat.

Illud verò non infimum ex priuilegiis legatorum adiiciam, eos perpetuò quamuis extra imperij fines discurrant libertatem, iusque ciuitatis retinere: Atque ob id etiam apud hostes legare, ac testamentum condere posse, aut ex alterius testamento capere, iusque in filios totámque familiam retinere. Quod aliis fermè omnibus denegatum est, qui simul ac regni fines excesserint, pro mortuis habentur, caputque, libertatem, ac ciuitatem, amittunt, donec iure postliminij ea recuperent, natalibusque restituantur.

Caius in l. eius qui apud hostes π. qui testam. fac. l. qui à latroni. eod.

Quid discriminis, quídve dissimilitudinis, inter obsides & legatos.

CAPVT VI.


VPLICEM veritatis inuestigandæ, & perquirendæ, methodum, nobis Aristoteles summus author tradidit: Vnam quidem, cum res in sese suaq; natura penitiùs contemplamur, per definitionem & diuisionẽ duo præstantissima logicę instrumẽta. Alteram cum res rebus cõmittimus & ex earũ cõtẽtione, quid dissimilitudinis aut similitudinis insit, colligimus vnde rerũ differẽtiæ ac proprietates tanquam ex naturę gremio eruuntur, quarum intuitu veritatem in profundo demersam dicebat Heraclitus. Vtramque Porphyrius summus Platonicus, in sua Isagoge, & ante eũ Plutharchus in suis præstantissimorum virorũ paralellis seruarunt. Quare nemo sicuti opinior, hunc nostrum ordinem culpabit, si legato superioribus quinque capitibus suis numeris ac partibus delineato, eum nunc aliam viam ingressi, obsidibus ac designatis viris quos vulgò deputatos appellant, comparauerimus, vt ex eorum collatione, quantũ legati cæteris præstent omnibus appareat. Etenim prima fronte sola nominis ratio alios ab aliis secernere videtur: Nam obsides delectique viri, vt & legati, ex clarissimis familiis vt plurimũ mittuntur, quique cęteris doctrina, authoritate, & rerum experientia pollent, idque totius reipublicæ nomine pręterquam quod eadẽ fermè illis priuilegia conceduntur. Sed tamen si propius, attentiusque despiciamus, multa inter eos discrimina, multasque differentias agnoscere licebit, quæ nostrum hunc legatum multo

In Topic.

digniorem, & ornatiorem reddunt. Quod vt luculentius pateat, & ne duos vni committamus, si quidem ne Hercules contra duos, de obsidibus & legatis sigillatim hoc capite dicamus, idipsumque sequenti capite de selectis viris pręstabimus. Prima quidem legatorum & obsidum differentia ex nominis Ethymologia petenda est. Etenim obsides ob fidem datã dicti sunt, omninóque hostibus dantur, vt sint Arrabonis instar. At verò legatus nemini pręterquam suo principi sese fide ac religione obstringit. Et quemadmodum in venditionis contractu, si emptor qui annullum dedit pœnitentia ducatur, ex commissoria, vel etiam ipso iure Arrhas amittit: Sic & qui obsides mittunt pactorum & conuentorum causa si ab his defecerint, fidemque datã fefellerint obsides suos amittunt. Adeò vt in eorum caput sęuire, & ex iure quæstionem habere liceat. Quod tamen ius fateor durius & acerbius esse quodque ad iniustitiam propius, quã ad ęquitatẽ accedat, siquidem ἀκριβοδικία δυσνομία est, & veteres summũ ius summã crucem dixerunt. At legatos eã ob rem retinere, iura diuina humanáque reclamant. Itaque obsides si non capite plectantur, vt plurimùm pecunia redimuntur: At legati, quia nunquam iure retinentur, idcirco captiuitate, interposito pretio non liberantur, quia etiam in vinculis iure gentium, & ciuili, liberi existunt, nec eiusmodi vincula natalibus efficiunt.

in π. de leg. commiss. & l. 17. π. de fid. iuss.

Quinetiam obsides dati, si ante missionem, præscriptúque tempus, ad suos reuertantur, hostibus remit-

tendi sunt, sunt propterea quod, sicuti dictum est, hostibus fidem dederunt, sicuti de Cœlia virgine quæ virili habitu custodes fefellerat, & ad suos transfugerat narratur. Sic & Sp. Posthumus, T. Veturius, Attilius, Regulus, compluresque alij obsides, vel saltem quod hostibus obsidum more fidem dedissent, à Romanis remissi sunt, qui ob id postliminio reuersi non potuerunt videri, vt in Pandectis ex Pôponio traditur. Quin etiã, obsides si ex fuga retrahantur, ex iure capite plectuntur. Sic enim Appio consule, Volscorũ obsides profugientes retracti, virgis diu cæsi Tarpeio deiecti sunt. Vt & multo post, obsides Tarentinorum eandem ob causam Philea legato eius fugæ conscio & authore pœnas dederunt. At legati, quolibet tempore, etiam infecta legatione, impunè & tuto sese recipere possunt. Nisi si, vt nostro seculo fieri solet, idque propter hominũ diffidentiam & perfidiam, vltrò citróque legati mittantur, qui eodem fermè tempore legationem cõficiunt, eodemque momento veniam & reditum impetrare debent. Non sic veteres Romani qui non aliàs, quam cũ respublica postularet, suos oratores mittebant etiam si apud eos nulli tunc temporis legatione fungerentur, qui statim exposita legatione de reditu cogitabant. Quem morem etiamnũm hodierno die orientis imperator seruat, qui omnibus omnium legatis aditum præbet, publicaque hospitia, suos vero legatos non nisi re ita exigente mittit.

in π. de capt. & postlim. reuers.

Dionys Halycar. lib.6.

T.Liuius lib.35.

Alexãd. ab Alex.

Hoc verò e-iam inter legatos & obsides discriminis notari potest, quod obsides cum sicuti dictum est

hosti fidem dederint, cumque capite minuti, ciuiliterque mortui sint, certè nec transigere, nec fideiubere, nec alienis negotiis sese immiscere debent, nec denique quicquam tentare, quod hostibus, quorum fidei sese commiserunt, præiudicium adferat, alioquin legum seueritati obnoxij futuri sunt. At legati impunè quicquid princeps indixerit, perficere possunt. Etenim videre est legatos sæpius mitti, non tam vt ex æquo & bono cum exteris negotia componant, quam vt eos dolo bono circunueniant, eis imponant, subditos subornent, & ad deffectionem vrgeant: vt legati mutato nomine, veriùs tentatores & exploratores dici possint. Quanquam eos probare non possim, qui legationis pretextu, non hostes modo, sed ipsos etiam confœderatos illudunt, ac circunueniunt. Nam cum multa iure liceant, nescio an viro bono & Christiano licere eiusmodi omnia debeant, cuius omnes actiones, diuinis præceptionibus, tanquam lydio lapide, explorandę veniunt. Sed in rerumpublicarum administratione, frustrà religionis Christianę symbola laudantur, vbi omnia ex publica vtilitate, imperijque dignitate, ac necessitate ponderantur: quod cum fit, iustè & legitimè omnia fieri dicũtur. Sicuti summum huius mundi gubernatorem & opificem non ex fulminibus, terræmotibus, & chasmatis, sed ex maximis illius erga nos beneficiis consideramus, qui tamen indiuiduis non parcit, ad speciei & generis propagationem, matrémque sæpius in vitæ discrimen adducit, quo fœtum quem vtero gestat promoueat.

Vlpianus l. 11. in π. qui testa. fac. & in l. 10. in π. de testam. milit. Martia- in l. qui à latronibus in π. qui testam fac.

Sed fortaſſè longè etiam ſatius fuerit diuinam regulam hic non adhibere, ſed quid iure gentium, ac ciuili legatis liceat perſequi, quanquam anguſta innocentia ſit, vt ait Seneca, ad legem bonum eſſe. Hoc igitur vnum contendo, impunè legatis licere, ſiue per fas, ſiue per nephas, quicquid ſibi abs principe mandatum eſt exequi, ac perficere. Quod quidem ex veteribus T. Liuius. ſeculis repetita memoria clariùs euadet. Tarquinij cum ob laſciuiam, & ſtuprum Lucretiæ illatum, vrbe pulſi eſſent, legatos Romam miſerunt, qui ſub ſpecie repetendorum ſuppellectilium, quæ in vrbe ampliſſima habebant cum Aquilijs, & Vitellijs, nobiliſſimis adoleſcentibus, ipſiſque bruti conſulis filijs, colloquium haberent, de regibus reſtituendis, & in vrbem reducendis ac recipiendis: Quid plura? ſic legati negotium cõfecerant, vt poſt multas nocturnas coitiones, adoleſcentes ſiue precibus, ſiue pollicitationibus, corrupti de reſtituendis exulibus prodendáque vrbe coniurarint: Cum Vindicius quidam ſeruus totius coniurationis index extitit, machinationémque hanc conſuli aperuit, Comprehenſi rei ex vinculis cauſam dicunt, crimen agnoſcunt, huius tamen Tarquiniorum legatos authores affirmant, & in eos totam culpam reijciunt. Adoleſcentes quidem, ſtatim virgis cęſi & ſecuri percuſſi ſunt, Legati verò ſine iniuria & offenſione remiſſi, etiam Tarquiniis eorum factum per literas improbantibus, ac damnantibus, quod illis inſciis ac nihil tale cogitantibus commiſſum fuiſſet. Et certè in illa coniuratione legati non tam peccauerant,

quàm qui proditionem ac deffectionem mandauerant. Quorum hoc ſemper proprium ac peculiare fuit, proditionem rectè & ex animo cōfectam, ex post facto ratam habere, patefactam verò damnare, & abiurare, vel vt Cicero diſertius, proditionem amare proditores odiſſe. Sic & Aul. Poſthumius, Volſcorum legatos nulla iniuria affectos remiſit, qui ſub honeſtæ legationis ſpecie, Romanas legiones exploratum venerant, vt Dionyſius author eſt. Neque tamen iure prohibetur, ſibi aduerſus hanc tantam legatorum libertatem, & authoritatem cauere, Illiſque adhibito ſtudio, & diligentia, omnes coniurationis occaſiones præripere. Nam qui bene reipublice conſultum volunt, cauere perpetuo debent, ne ſub hac honeſta legationis ſpecie, & exquiſito hoc titulo, quid detrimenti reſpublica patiatur. Quod Romanos factitaſſe, ſatis eorum monumenta probant. Athenięſes quondam ſuos oratores Romam miſerant, Carneadem, Diogenem, & Critolaum, tantæ eruditionis & eloquentiæ viros, vt non ſine cauſa M. Cato, cum in vrbe eſſent reipublicæ metueret. Tantum enim eloquentia, verborumque lenocinijs poterant, vt his dicentibus, quid laudandum aut expetendum eſſet, non ſatis conſtaret. Quos Cato adhibitis exploratoribus, & renuntiatoribus, tam attentè circunſpexit, vt non modo vbi eſſent, ſed quid agerent, vbi cœnarent, quibuſcum colloquium haberent reſciſceret. Eandemque diligentiam & cautionem Athenienſes adhibuiſſe dicuntur, in excipiendis & obſeruandis Perſarum

Dionyſ. Halycarn. libro. 6.

Cicero.

Aristides in panath. enaicis. *Demosth. in orat. de fal. legat.*

legatis, quos ad se multis cum muneribus Xerces in atticam miserat, vt Athenienses ab eo fœdere diuelleret ac distraheret, quod inter omnes Græciæ ciuitates ictum erat. Etenim Athenienses admissos legatos cum suis muneribus remiserunt, adhibito tamen comitatu, & custodibus, qui cauerent, ne eiusmodi legati cum vllo priuatim colloquium haberent. In hanc sententiam narrat Alexander, Romanos exterarum gentium legatis exploratores dedisse, qui sub specie commeatus, & satellitij, quid consilij captarent diligenter inquirerent. Addit etiam publicum hospitium legatis concessum fuisse, ne in priuatorum ædibus quid in rempublicam mollirentur ac coniurarent. Quod etiam ab aliis factitatum video, etenim Philippus Xenoclidem poëtam exilio mulctauit, quod Atheniensium legatos, suos conciues & populares, priuati hospitij iure apud se excepisset, vt ait Demosthenes in oratione περὶ παραπρεσβείας. Hinc antiquorum publica proxenia & priuata Xenodochia celebrantur. Sicque tota huius mundi securitas ex diffidentia profluit.

Quid discriminis inter legatos, & selectos viros, siue deputatos.

CAPVT VII.

SILECTOS

SELECTOS viros seu deputatos appello, qui à subditis ad principem mittuntur. Neque enim quotquot mittuntur, qui de rebus ad rempublicam pertinentibus tractent, legati existunt, legatorumve priuilegia obtinent. Neque omnes ciuitates, principes, aut populi, ius hoc legationis retinent, sed hij duntaxat qui ex animi sententia & arbitrio viuunt: Vt non aliud insignius libertatis symbolum haberi possit, quam ius legationis. Ius ergo legatorum mittendorum, illis duntaxat concessum est, qui ex sese, non ex alterius Imperio pendent, quique nullo fidelitatis sacramento adstricti sunt: Nam populi & ciuitates, quæ alterius Imperio parent, non modò ad eum quem principem agnoscunt, cuique fiduciarij ac feudatarij sunt, suis auspiciis legatos mittere non possunt, cum id iure illis non liceat, sed nec ad extraneos sine perduellionis crimine, & læse maiestatis piaculo. Quod ne à nobis cōfictum videatur rationibus & exemplis confirmandum est. Narrat Pausanias Lacædemonios tandem inclinante eorum fortuna, ab Achæorum pubertate deuictos fuisse: Cúmque ab armis discessum esset, & tamen Lacædemonij Achæorum mandata grauiter ferrēt, decem Romanorum legatos in Græciam missos, tanquam honorarios arbitros, qui inter Lacædemonios & Achæos ius dicerent.

Quorum princeps Appius, contra ius & æquum Lacædemonijs ius legationis concessit. Achæis tamen reclamantibus, non licere subditis, ius legationis

E

habere. Quinetiam post Appij Clodij iudicium senatusconsulto comprobatum, Romani identidem Sulpitium Gallum in Græciam miserunt, dirrimendarum controuersiarum causa, quæ de finibus inter Lacædemonios & Argiuos subortæ erant. Cuius rei totum negotium, totamque cognitionem Sulpitius, Callicrati homini græco delegauit, apud quem cum Ætholi postulassent, vt ab Achæorum consilio seiungerentur, suísque deinceps legibus viuerent, id non modò permisit, sed insuper ius per se & sine Achæorum venia legatos Romam mittēdi. Ex quibus, etiam subditis ius mittendorum legatorum competere, colligeret aliquis, Nisi Romanos in illis arbitriis contra ius & æquum, sicuti multò antè inter Nolanos & Neapolitanos, versatos fuisse constaret: vt videlicet Græcos à Græcis distraherent, Achæorum intensas vires infringerent, & sibi in Græciam specie & pretextu legationis aditum patefacerēt. Illos enim nusquam reperias suis subditis ac bello victis, ius legationis indulsisse, aut eorum selectos legatorum instar habuisse. Etenim cum ob leges Agrarias, ingens Romę suborta fuisset seditio, Fuluio Flacco, & L. Gracco, huius seditionis authoribus, cumque à seditiosis, & popularibus, ad senatum filius Flacci legatus missus esset, qui pro populo cum patritiis & senatoribus rem totam componeret, ac pacisceretur: Eum Opimius consul, ex decreto senatus pro legato nō habuit, sed comprehensum in carcerem coniici iussit. Nec verò etiam Romani, pro legatis habuerunt quos Spartacus gla-

Plutarch. in Gracc.

Corn. Tacit. lib. 2.

diator, etiam tribus victoriis clarus miserat, vt nec Tiberius quos Talpharinus, qui collecta maxima seruorum & latronum manu, totam fermè Affricam occupabat. Sic nec Theodosius Orientis Imperator, quos ad sese Iohannes, qui in Occidente Imperium vsurpauerat, legatos misit, pro legatis habuit, sed eos in vincula conijci iussit, causáque amplius cognita in propontidem relegauit. Quid externa commemoro? Nunquid ambosiaca coniuratio huic quæstioni præiudicium attulit, in qua de selectis quibusdam viris, quibus alioqui fides data dicebatur, supplicium sumptum est, adeò maturè & tempestiuè, vt horum supplicio facinorosi ab armis statim discesserint, in suasque sese prouincias actutùm receperint. Nec verò quisquam factum calomnietur, quod fides data (si qua fuerit) etiam hostibus & perduellibus seruanda videatur. Nam si quæ iniuria illata est, ad priuatos pertinent. Sed si ex publica vtilitate, regnique necessitate factum metiamur, iure ac legitimè id factum est. Nobis sanè qui priuatam personam sustinemus, multa intempestiuè, ne dicam iniustè, in reipublicæ administratione committi videntur, quæ tamen si æqui rerum æstimatores essemus, rémque totam ad rationis calculum subduceremus, iustè prudentérque facta viderentur. Interdum seueritati locus est, vt cum medici putidum membrum adhibita nouacula resecant, interdum & indulgentiæ, vt cum mitigantibus morbi impetum retúdunt, vt ne acrioribus remediis adhibitis exacerbetur morbus. Atque omnino prout

Procop. li. 3. de bell. Vãdalico.

reipublicæ tempora poſtulabunt. Quam cautionem in reipublicæ adminiſtratione, antè alios Romani adhibuerunt. Nam M. Antonio etiam perduelli iudicato, Seruium Sulpitium, & alios magni nominis legatos miſerunt. Quanquam Cicero, non legationem ſed denuntiationem exquiſito verbo appellet, paratum videlicet illi exitium, niſi ſenatui paruiſſet. Non alia ratione credo, quàm quod eius legiones, animũque à republica alienum pertimeſcerent, quem ſi in poteſtate habuiſſent, non per legatum, ſed per lictorem ſalutaſſent. Sic & in coniuratione Catillinaria, M. Tullius, Craſſi, perduellis accuſationem non recepit, quamquam re vera conſcius eſſet, ne eum aduerſus rempublicam concitaret. Et Cn. Piſo cum Manlium Criſpum accuſaret, nõ verò Pompeium, quem tamen criminis authorem cõſtabat, cumque Pompeius huiuſce rei rationem ex ipſo Piſone requireret, Da vades reipublicæ (reſpondit Piſo) te ſi poſtulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum, iam de tuo prius quàm de Manlij capite iudices in conſilium mittam. In hanc ſententiam narrat Capitolinus Romanos conſilia habuiſſe tacita, vt ſi qua vis immineret quæ ſenatum cogeret humilia capere conſilia, in his nec ſerui publici, nec ſcribæ, nec quæſtores intereſſent, eámque ob rem fortaſſe noctu Areopagitæ iudicabant, quamquam Lucianus aliam huiuſce rei rationem adferat ὡς μὴ εἰς τοὺς λέγοντας, ἀλλὰ εἰς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν. Et apud Venetos eiuſmodi tacita ſenatuſconſulta, cum reſpublica poſtulat etiam hoc tempore ha-

In Hermo tim.

bentur. Atque ex his quæ prolixius fortaſſis dicta ſunt, colligere eſt hoc legatorum & ſelectorum diſcrimen. Legatos videlicet à Regibus imperatoribus, rebuſue pub. quæ ſuperiorem Cęſarē non agnoſcunt mitti, atque ob id ſacroſanctos & inuiolabiles eſſe: à ſubditis verò non legatos, ſed ſelectos: nec tamen aut iure gentium, aut ciuili ſacroſanctos, quos comprehendere, in vinculis habere, ſupplicio afficere, ſi faſcinoroſi ſint, ſummo iure liceat. Propterea quod ſubditi naturali fidelitatis ſacramento ſuo principi adſtricti ſunt. Quanquam æquius fortaſſe fuerit, vt aditum ſic & reditum prębere, ne ſubditi ſi non admittantur, in ſalutis deſperationem veniant, aut magis ac magis exarcerbetur morbus, ſi ſemel eorum ſelecti viri retineantur. Quinetiam cum M. Tullius Seruij Sulpitij legationem denuntiationem appellat, non obſcurè innuit, à principibus ad ſubditos legatos aut oratores non mitti, ſed miſſaticos iuridicos, aut delegatos, qui nuntient, qui de verbis imperatoris aut ſenatus imperent. Quanquam ſi legati nomen paulò latius ſumatur, ſicuti apud probatos authores vſurpatur, non dubitem quin legati etiam appellari poſſint, qua in ſignificatione Proconſules ſuos habebant legatos, qui eis abſentibus ius reddebant, omneſque controuerſias componebant. *in π. de offic. Proconſul.*

Vnde apud Cæſarem legitur, legatos fiduciariam operam obtinuiſſe, id eſt proconſulum vicarios fuiſſe, vt Budæus interpretatur prioribus annotationibus in Pandectas. Sed de his non eſt huius noſtri inſti- *lib. 2. de bell. ciuil.*

tuti pluribus disputare.

De officio, & munere Legatorum, déque legationis auspiciis. CAP. VIII.

HVNC librum duas in partes digestum esse, vel ipsa inscriptio docuit, quæ de legatorum priuilegiis ac munere fuit. Iam verò exposita sunt quæ ad sacrosanctam legatorum maiestatem pertinere videbantur. Nunc quod munus, quodue officium, illis incumbat videamus. Nec enim minus oneris, quàm honoris legato sustinendum. Sed quasi ęqua bilancæ, onus & honos dispensantur. Verum in hac officiorum multitudine ac variætate, nobis aliqua ordinis ratio constituenda est, sine qua ex hoc occeano, saluis rebus nunquam emergere, & enatare possemus, Quiquidem ordo, vbi amplissima seges est, nobis semper propositus esse debet, vt eo sicuti Theseus filo apprehenso Labyrinthum euasit) cogitationum nostrarum mæandros, & anfractus, expedire & explicare possimus, Nec non animi fœturā edere. Superior huius libri pars, eo ordine quem commendat Aristoteles, quemque præstantissimi authores seruarunt delineata est. Altera ordine συνθέσεως à nobis explicabitur, vt quod intentione primum est, sicuti philosophi dicunt, exequtione postremum euadat. Ponendæ ergo nobis singulæ legationis partes, siue potius tempora, vt dum eas percurremus, legatum officij ac muneris admoneamus, legationémque sic conficiamus.

Scitum est quod ab Aristotele traditur, ὑπολαμβάνο-

μεν εἰδέναι τὸ σύνθετον ὅταν εἰδῶμεν ἐκ τίνων καὶ πόσων ἐστίν. Sic nos quid legatio, quodnã ve ſit legatorum munus habebimus, ſi ſingulas legationis partes eodẽ ordine quo obeuntur expoſuerimus. Et vt medici cũ ſingulas corporis partes per anatomen explicant, earundem vſum & actionem demonſtrant. Sic poſitis legationis partibus, quid in quaque legato ex officio & munere ſit agendũ generaliter ponemus. Nec enim ſingula perſequi libet, nec ſi libeat licet, quæ propter infinitatẽ ſub artem non cadunt. Ac mihi quidem quatuor pręcipua legationis capita ſiue partes videntur, quarum prima in acceſſu, altera in mutuo congreſſu & nuntiatione, tertia in negotiatione, totóque eo tempore quo legatus mandata conficere conatur, quarta denique in abitione & reditu tota verſatur, quas ſigillatim ſuóque ordine exponere conſtituimus.

Verumtamen antequam ſoluamus, veláque pandamus, de viatico nobis cogitandum eſt, ſine quo legationem auſpicari abſurdum eſt, ne ſub dio legatus iacere cogatur, nemine nunc amicitiæ aut dignitatis nomine hoſpitia præbente, ſed ſolius lucri cupiditate. Olim quidem cũ Iupiter Xenius cœlebatur, in commeatu non erant vſui, aut certè non multùm neceſſariæ pecuniæ, vltro patebant hoſpitia, priuatis priuata, publicis perſonis, publica, notum enim eſt, quod de Sybaritis legitur, & de Cymone Athenienſi, cuius prædia omni ſuppellectile & dapibus inſtructa, ſuis popularibus vltrò patebant, multáque alia de iure hoſpitij nota ſunt, ad frugalitatem & feſtiuitatem illius

ſeculi pertinentia. Quæ indiſcriminatim omnibus hoc tempore, etiam monachis, qui Plutonem abiurarunt denegantur. Adeò ſingulas mundi plagas auaritia peruaſit. Legatis ergo ſi non Attalicæ conditiones, regiáque ſtipendia proponantur, at certè de publico viaticum conſtituendum eſt, quo ſe ſuúmque comitatũ fouere, ac ſuſtentare poſſit. Nec non dignitatem ac maieſtatem conſeruare, comparato ſatellitio. Quod vel maximè externis fortunæ bonis perficitur. Quod ſi aut reipublicæ penuria, aut quæſtorum iniuria, de publico ſumptus ſtipendiáque non tradantur: Quæſitum eſt an legatus de peculio vel patrimonio legationis onera & impenſas ſuſtinere teneatur, an verò ſine crimine officio ac muneri deeſſe poſſit. Hoc quondam apud Rhodios ancipiti controuerſia diſceptatũ fuiſſe narrat Cicero libro ſecundo de inuentione: Nã cum Rhodij legatos deſignaſſent, qui reipublicæ nomine apud Athenienſes proficiſcerentur, cúmque præſtita die profecti non eſſent, ſtatim rei capitalium facti ſunt. Vrgebat enim accuſator prærepta reipublicæ tempora, præreptas rerum bene gerendarum occaſiones idque legatorum negligentia: Tum legati ſumptum qui de publico legatis dari ſolet, à Quæſtoribus muneratũ non fuiſſe dixerunt, itaque non ſuam ſed Quæſtorum culpam eſſe: Accuſator contra vrgebat, nihil quæſtorum culpam ad hoc iudicium pertinere. Suo quemque officio conſulere debuiſſe, nec ſi illi peccaſſent, hos peccare opportuiſſe, nec illorum accuſationem, cum horũ deffenſione coniungendam.

Quod

Quod crimina non relatione, sed vitæ innocentia diluantur. Si quæstores deliquissent, separatim accusandos fuisse, at priuatis potius sumptibus proficisc debuisse, quàm rempublicam deserere, cui nos nostráque omnia debemus. Præsertim cum legato qui in publicum sumptus fecerit, in municipes actio detur. Aut certè si facultates non suppetebant, senatum de Quæstorum contumacia docere debuisse, ac protestari. Nec verò narrat Tullius quodnam fuerit super hac re senatusconsultum, attamen nostris moribus, quæstoribus stipendia, pecuniasque ad viaticum necessarias, soluere detrectantibus, non ita pręfractè ac summo iure cum legatis ageretur, nec vt arbitror ad supplicium deposceretur. Etenim videre est nonnullos in sanctiori regis consilio ad legationem designatos, qui paullò post mutato consilio, tacitè abdicantur, quos ob id meritò quęstores non audiunt. Adeò vt reuocatę legationis tacitum argumentum esse debeat, quęstorum contumacia. Hoc ergo probatum, vel certè positum esse velim, legatos non propriis sumptibus, sed publicis legationem obire debere, nisi summa reipublicę penuria adsit, legato verò amplissimę facultates suppetant, quibus legationis onera sustinere possit. Tunc enim nihil esset quod legatos excusare eorumque culpam pretexere posset, pręsertim cum iure ciuili in legatos actio detur, qui patrię defensionem ac legationem deseruerunt.

l.5 in π. de pub. iud.

l.7. in π. quod cuiusque viu.

l.2. C. de legatione.

Quinam & quantus debeat esse legatorum comitatus. CAPVT IX.



VONIAM legati iure gentium etiam inter hostes sacrosancti existunt, sicuti iam dictum est, idcirco illis non committuntur triremes, non classes, non legiones, sed tempora, ac voces, ne reipublicę pręripiant tempora, in quibus tota plerumque rerum bene agendarum occasio concistit. Et vt nuntient ac renuntient verè, quę dicta & edicta sunt, sicuti pręclarè Demosthenes in oratione περὶ παραπρεσβείας tradidit. Verum nonnulli illis committuntur pro famulitio duntaxat, & comitatu, ad tuendam videlicet dignitatem & antestandi causa. Quos tamen exiguo in numero veteres esse voluerunt, quoniam vbi turba magnusque hominum concursus adest, illic nulla adhiberi festinatio ac diligẽtia potest, quam tamen in legatione obeunda summè necessariam esse constat. Nam primus qui legatis vsus est Bellus, duos duntaxat legationis nomine viros adhibuit, vnum qui diceret, alterum qui antestaretur. Et Lacędemonios vnicum selectum virum, qui legatione fungeretur misisse, veterũ monumenta testantur. Quem cum Persarum rex, multis stipatus regni proceribus, cachino excepisset, quod videlicet incomitatus aduenisset, respondit intrepidè, sese vnius nomine, vtpote regis, atque ob id solum & vnicum aduenisse. Verum hoc tempore tantum comitatum legatus habet, quãtum familię dignitas poscit, quantumque facultates sustẽtare, ac fouere possunt. Quin-

Isid. lib. 4.



etiam permulti volones, virtutis causa propriis sumptibus legatum consequuntur. Sed tamen legato ea in re maxima cautio adhibenda est, maximusque hominum delectus necessarius (presertim cum iure ciuili de suorum delictis dominio teneantur) nec alios nisi probatę ac perspectę virtutis viros admittere debet. Nam si aut sycophantas, aut ganeones, aut litigiosos, secum deducat, quam quæso de se suisque opinionem concitabit? quam dificillè eos in officio ac munere continebit? Sed fortassis non erit absurdum hoc loco quęrere, an legato secum vxorem deducere liceat, aut deceat. Quod à nobis ancipiti alea Academicorum more disputabitur, ne quem suggillare aut perstringere videamur, si nostram hac de re sententiam ingenuè proferamus. Ac primum quidem nec decere, nec licere, multę rationes probant. Etenim iure ciuili fœminę ab omnibus officijs, ac muneribus publicis remouentur. At verò si cum viro proficiscantur, legatione quodammodo fungerentur, reique publicę causa aberunt, quod contra sexus pudorem existit. Quinetiam tanta nonnunquam festinatio ac diligentia in legatione adhibenda est, vtpote ne reipublicę pereant tempora, legatus vt viridariis equis ac dispositis cursum conficere cogatur, quem fœmina nũquam consequi posset. Pręterea legato vt plurimùm dissimulãdum, summáque adhibenda taciturnitas, quod mulieres propter insitam cum animi leuitatem, cum linguę vollubilitatem & lubricitatem, pręstare nullo modò possent. Vnicum enim aut fermè alterum mu-

l.24. in π de iudic.

Passim in π. de reg. iur. de postul.

liebris taciturnitatis exemplum tanquam portentum posteritati commendatur. At de earum garrulitate adeo plena exemplorum vetustas, nulla vt ætas deinceps conticescere possit. Quid verò rei est fœminis cum legatione, in qua de reipublicæ commodis agitur, nisi quis fortè γυναικοκρατίαν vel potius ὀχλοκρατίαν introducere velit. Nec vero legatum ita vxorium futurũ crediderim, qualem Themistoclem narrãt, qui in reipublicæ administratione ex vxoris cõsilio & arbitrio pẽdebat, vt nec similem Heliogabalo qui primus matrem sententię dicendæ causa in senatum deduxit. Nam si ipse sibi temperare nequit quin vxorem suæ legationis consciam habeat, quid spei restat eum si res ita postulet, cęteris mutum, & ore obsignato fore. Atqui legato per biennium, aut etiam triennium, extra regni limina commorandum est. Quo tempore quis se contineat, nec veneris illecebris succumbat? Et tamen legato ob adulterium, stuprum, aut incestum minimè parcitur, sed legum seueritati obnoxius existit, in cęteris verò criminibus & delictis quãtumlibet illi iure gentium indulgeatur. Nam cum Theodatus legatis Iustiniani adulterium obiiceret, non recusarunt quin ex ea causa in eos iure adnimaduerteretur, sed falsum crimen esse dixerunt, quod obiiciebatur, vt Procopius libro primo de bello Gotthico memorię mandauit. Sic Megabisi Persarum regis legati, ob lasciuiam & petulantiam occisi sunt, cum adolescentibus muliebrem sexum ementitis, vim inferre voluissent. Quid verò mirum legatos ob adulterium

Plutharc. Lamprid. Herodot.

puniri, cum nec leges impuberibus indulgeant, cúmq; reges qui legatis augustiores sunt eo nomine aut occisi aut in exiliũ acti sint, vt de Tarquinijs, Posthumio imperatore, & Childerico Francorũ Rege multisque aliis veterum monumenta testantur. Certè legatum ætate prouectum esse voluimus in quo iuuenilis ardor, ac vesani amoris impetus deferbuerit. Summus ille iurisconsultus Vlpianus, cum de proconsule quereretur, illi ne liceret vxorem in prouinciam deducere, melius esse proconsulem sine vxore in prouinciam proficisci respondit. Rectè quidem & sapienter abs Vlpiano respõsum est, sed tamen paullò post Cotta & Messalla coss. mulieribus id senatuscõsulto permissum est, licuitque proconsulibus & aliis qui reipublicæ causa aberant, vxores in prouincias deducere. Ea tamen conditione & lege, vt si quid vxores eorum deliquissent, qui ad officia proficiscerentur, ab ipsis ratio & vindicta exigeretur.

in π. de adult.

L ib. 26. ad Sabinum.

l. 4. in π. de offic. procons.

Nec verò dubitem, illis id indultum fuisse, propter sexus imbecillitatem, ne videlicet absente marito non modo vt Penelopę Procos, sed vt Clytemnestra Ægystos admitterent. Valere autem debet æquitas, quæ in pari causa paria iura postulat, quare si proconsulibus licuit equidem & legatis licebit. Quinetiam mulieribus vt viris priuilegia eo nomine concessa sunt. Ac Græci quidem in suis illis celebribus olympicis ludis, in quibus totius Græciæ concursus fiebat, fœminis pro legatis vsi sunt vt narrat Procopius. Et in primis Romæ cunabulis triginta virgines sabinæ,

Procop. lib. 5. de bello persic.

apud Romanos legatione functę sunt.

Veturiaque ac Volomnia matronę apud Coriolanum legationem obierunt. Quinetiam Aul. Vitellio suasore & authore, senatus Vestales virgines ad Vespasianum misit, quæ pacem exorarent. Nostrisque temporibus aut non multò ante, nobile illud pacis fœdus, in Cameracensi vrbe ictum est, inter Galliæ & Hispaniæ reges, nec non imperatorem Germanorum, trium reginarum ministerio, quæ quasi legationis munere fungebantur. Sed de mulierum legatione plus ęquo dictum est, quæ nostro alioquin patrocinio non indigent, quæque summota omni quam maritis debent reuerentia plus satis imperitant, virilliáque iam munera capessunt, vt merito nunc Gallos γυναικοκρατουμένους appellare liceat, quod virtutis auitæ immemores, muliebri imperio fermè regantur. Cum tamen fœminarũ alię virtutes, alia munera, aliáque officia esse debeant. Nam vt à viris sexus præstantia, fortitudine, rationisque discursu superantur, ita officiorum varietate, & vicissitudine distingantur. Non enim audiendus Plato, qui virorum & mulierum officia confundit, easq; vt & viros ad militarem disciplinam promouet. Domestica negotia mulieres quantumlibet tractent, publica vero & quæ foris geruntur minime attinguant, ac ne si fieri posset ædinum limina egrediantur. Nam quod Medea apud Euripidem, pulchrum esse dicit ob virtutem consequendam patria abesse, id profectum abs muliere venefica & profuga, quodque in consequentiam trahi non debeat. Sed iam illud restat, quo-

niam legationis vela ſoluimus, portumque egreſſi ſumus, legatum per loca conſueta, ſollitáſque vrbes, curſum intendere debere, non vero diſcurrere aut errare, amicorum ſalutandorum, aut arcium, & vrbium viſitandarum cauſa ne in prędonum aut aut hoſtium caſſes incidat, ne ve reipublicæ pereant tempora & occaſiones, quas recuperare poſtea non poſſit. Eá ob rem Athenienſes ſuos legatos quos in Arcadiam miſerãt, interfecerunt vt ſcribit Ælianus, quod videlicet per inſolitam viam legationem confeciſſent. Sic & Romanorum proconſules, cum ſuas prouincias ſortiebantur, & à ſenatu cum faſcibus mittebantur, certos habebant acceſſus & receſſus, eoſque terreſtres aut maritimos, quos ἐπιδημίας καὶ καταπλοῦς Græci appellant, per quos officij neceſſitate prouincias ingrediebantur. Vt videre eſt de Aſiæ proconſule qui prouinciam per orã maritimã adibat, metropolimque Epheſum ante alias Aſiæ vrbes ingrediebatur.

Lib. 5 de var. hiſt.

in ff de offic. proconſul.

Quæ legato præſtanda, cum legationem exponit. CAPVT X.

POSTQVAM legatus, quanta fieri potuerit diligentia curſum iterque confecerit, & ad externũ principem cuius nomine miſſus eſt peruenerit, omnem dabit operam, vt quàm ocyſſimè legationis exponendæ occaſiones nanciſcatur, ſuóque probè munere fungatur. In quo nihil prętermittet diligentiæ, aut etiam ſi res ita ferat

pertinaciȩ. Nec tamen illi iustos aliquot dies denegabimus, in quibus vires longo itinere prostratas reſſicere, munerisque ac officij meminiſſe poterit. Quanquam minus neceſſe erat, hac in parte illis consulere prȩſertim cum plus temporis, quam ipsi quandoque velint, concedatur, antequam admittantur, & audiantur. Non ita veteres Romani, qui certum tempus legatis audiendis dicabant, eosque statim dimittebant. verũ hoc tempore legati magna ex parte statarij sunt, & apud exteros totum quandoque biennium aut eo amplius commorantur. Legatus ergo admiſſus, eum primùm salutare debebit, ad quem mittetur. Honoris magis & humanitatis quàm fidelitatis causa, quam suo tantum principi debet, vtpote cui soli fide, ac religione, obstrictus est. Nec verò immitari Venetorũ legatum, qui Moschouitarum imperatorem, nullo honore, nulláque reuerentia, primo in congreſſu ac cõspectu affecit. Credo quod religionis Christianæ hostis infestiſſimus eſſet, aut quod contra suam rempublicam arma sumpsiſſet, quem si salutaſſet, patriam summittere ac subiicere visus fuiſſet. Quam tamen ob irreuerentiam, despectumque indignatus imperator, clauo trabali pileum eius capiti aſſui iuſſit, vt in hoc statu quandiu legatus eſſet permaneret, suique huiusce officij non obliuisceretur. Nec verò factum barbari laudo qui iura naturæ ac gentium violauit, vt nec quoque legati imprudentiam vel impudentiam potius diſſimulo, qui iura humanitatis & hospitalitatis prȩtermisit. Hoc enim principes dum sese per suos

Sigiſmũd. in histor. Moschou.

legatos

legatos visitant, vltro citroq; hoc humanitatis officiú debent, quod in salutatione est, præsertim cum honor honorantem sequatur, sicuti philosophi tradiderunt. Memini Platonem ex tribus humanitatis, siue φιλανθρωπίας speciebus primum locum salutationi tribuisse. Et in Isocrates in sua Parænetica, demonico inter cætera eam commendat, vtpote humanitatis & vrbanitatis plenissimam. Hincque Martialis, dum Ruffinum & Pontilianum rusticitatis arguere vult, neminem eos salutare obiicit, ne quidem inuitatos. Pompeius contra laudatur, qui etiamnũ imperator totiúsq; orientis victor, tamen ingressurus scholam Possidonij fasces summiserit lictorémque fores percutere voluerit: Nec verò etiam plus æquo humilis aut abiectus sit, sed suam dignitatem & authoritatem, modestè non tamen ambitiosè tueatur, vtpote in comitiis suum locum & ordinem assumat, nec quicquam de honore sibi delato aut debito, deminui patiatur. Nec verò sufficiat dixisse legato à salutatione auspicandum, non enim in modo salutationis minor cautio adhibenda. At qui lęuia sunt isthæc, & indigna in quibus exponendis otium conteramus, præsertim cum operæ ludicræ merces ludicra nobis expectanda sit, cúmque gestus corporis qui in salutatione seruandus est à pantomimis & histrionibus magis ediscendus veniat. Leuia sunt certè, addo etiam ridicula, quæ de salutatione dici possunt sed quę tamen propter consequentiã & euentum, non sint prætermittẽda. Demades legatus Atheniensium, quod inter salutandum nimio honore Ale-

Dio. Laer.

Plin. li. 7.

Athenæ lib. 6.

xandrum affecisset, nimiáque cum reuerentia salutasset vt pote numinis instar decem talẽtis mulctatus est. Et Dimagoras, quod Persarum regi more gentis inter salutandum adulatus fuisset, Leonte accusatore damnatus est, ita enim minutam Atheniensium maiestatem fuisse, vrbisque decus Persicæ dominationi hac affectata salutatione subiectum. Seruanda igitur legato inter salutandum regni majestas, & authoritas, quod fiet si legatus neque superbum neque abiectum nimis sese præstiterit, ritúque patrio salutauerit. Eadẽque modestia in explicãda legatione vti debebit, non verbis turgidis ad minas & terrorem vt nec humilibus ad preces. Etenim principes contumeliis lacessiti ad iniuriam legato inferendam facillimè prouocantur.

T. Liuius. Sic enim Philippus Rex Macedonum, Romanorum legatum contumeliis affecit, quod paullò liberiùs fuisset loqutus. Et M. Anthonius etiam bello victus, ac prostratus, Augusti legatum Alexeam, virgis cædi iussit, quod intempestiuè superbéque nimis dixisset. Ipsúmque Orientis Imperatorem narrant, de quodam Venetorum legato suppliciũ sumpsisse, quod in eum contumeliosus & iniuriosus fuisset. Sed & Lacedemonij legatos Xercis in barathrũ, & puteos pręcipitarunt, quod magnificis verbis, & superba nimis oratione, terram & aquam petiissent. Nec verò etiam sycophantarum & Parasitorum more, tanquam redempti laudatores, ac conducti præcones, legati adulentur, beneuolentiamue captent. Ex quo sequitur nec eos in ex-

ponenda legatione peregrinam,& externam linguam mutuari ac mendicare debere, etiamsi eam caleat. Nam si Timagoram Athenienses supplicio affecerunt, quod Persico more Persarum Imperatorem salutasset. Quid rogo fecissent si Persica lingua legationem exposuisset? præsertim cum suo Hellenismo tantum tribuerent, vt eos βαρβάρους arbitrarentur qui Græcę idq; Atticæ non loquerentur. Albinũ Cato reprehendit quod res Romanas Græcę scripsisset, ipséque Albinus eo nomine veniã deprecatus est, cum Cato eũ veniã deprecari, quam culpa vaccare voluisse respondit. *In epistol. Anacars.*

Quanto ergo magis reprehendendus esset legatus, si suæ gentis negotia, aliena & peregrina lingua exprimeret? suámque sic patriam subijceret? Nam & albinum multæ rationes deffendunt, nulla quæ legatum tueri possit. Etenim Græca tunc temporis, à pluribus legebantur, vt Cicero in Archia confitetur, latina suis finibus exiguis continebãtur. Præterea Græcum idioma pluribus negotiis exponendis multò aptius erat, propter vbertatem & amplitudinem. Atque ob id factum est vt & Polybius, Dionysius, Diodorus, Plutharchus, Appianus, Dion, complurésque alij historiam Romanorum Græcè prodiderint. At verò quid est quod legatum exotica mendicantem excusare possit? Nec enim vereri debet ne si vernacula lingua vtatur, minùs ab exteris intelligatur. Quãdoquidem Imperatores ac principes fermè omnes suos habent mercurios & interpretes, quorum ministerio singula legationis, capita statim consequantur & intelligant. Hoc

verò certiſſimum olim fuit ſeruitutis argumentum, externa lingua vti, vnde factum eſt vt Romani cum longè latéque ſui imperij fines propagaſſent, ſuam vt quoque linquam quantum in eis fuit ſcitum promouerint. Tanta animi contentione vt Græco ſermone Carthaginienſibus interdixerint, Ne aut loqui cum hoſte, ſicuti dicebant, aut ſcribere ſine interprete poſſent: ſuóſque inſuper proconſules præſides, iuridicos, latinè ius reddere omnéſque iuris formulas hoc idiomate comprehendi voluerunt. Cuius rei nonnulla in Galliis reſtabant veſtigia, cum Ludouici Regis duodecimi ſanctione prohibitum eſt, ſenatuſconſulta amplius latinis verbis concipi.

Iuſtinus lib. 20.

Nec verò ita exterarum gentium idiomata reſpuo, his vt legatum prorſus ſpoliare velim. Notum quod de Maſſiniſſa, aliiſque compluribus polyglottis legitur: non me Hercle minorem in legato linguarum varietatem deſidero, vt cum omnis generis hominibus colloquium habere, aliorumque conſilia reſciſcere poſſit. Id verò ſufficiat dum legationem exponit, illi vernacula ac natiua oratione vtendum. Nec verò etiam magis patria lingua, quàm patriis veſtimentis vti debet. Quibus indutus ab exteris agnoſci, multóque honore affici poſſit. Nec veſtitum ementiri debet, niſi ſi hoſtium inſidias timeat, aut ſi omnem ſibi aditum ad principem externum præcluſum eſſe ſentiat. Sic enim quendam Venetorum legatum, induta turcica veſte ad imperatorem ſibi viam paraſſe, legationémque ex voto confeciſſe legimus.

Quid interim legato agendum cum dimißionem expectat. CAPVT XI.

NEC verò sufficiat legato, cum dignitate rerum & verborum legationem exposuisse, nec illi statim salutato principe de reditu cogitandum est, vt canis è Nilo bibit, & cito fugit: Sed commorandum ac conquiescendum, donec responsa ferantur, illíque cumulatè satisfiat. Etenim legati munus his duabus potissimùm partibus absoluitur, nuntiatione videlicet, ac renuntiatione: ex quo fit vt legatus non minus in reditu, quàm in accessu sanctus & inuiolabilis existat. Sed quoniam fœdera, pacisque aut belli leges, quæ magna ex parte apud exteros principes legatus tractat, celeritatem ac festinationem non postulant, sed maturum consilium, ex antecedenti deliberatione profectum, idcircò cum legationem exposuit, iustos ac vt ita dicam fatales aliquot dies extero principi concedere debet, in quibus senatum cogere, iudicesque in consilium mittere possit. Quibus elapsis, fortiter vrgebit, ac instabit, ne interim reipublicæ tempora & occasiones intercidant. Exemplo Pompeij à Romanis ad Anthiocum missi, qui suaderet vt in gratiam senatus populique Romani, Ptolomæum Romanorum socium non amplius bello lacesseret. *T. Liuius.*

Nam cum videret Anthiochum moras trahere, nec sibi satisfacere, ac interim in Ptolomæi fines longiùs grassari, omniáque deprædari ac dirripere, baccillo-

quem manu geſtabat, circulum in puluere deſcripſit, cuius in medio ſtabat Anthiochus, ſtatúmque ſubiũxit, illi non licere circulum egredi, priuſquam populo Romano iuſta petenti diſertè ſatisfaceret. Qua induſtria & arte, coactus eſt Anthiocus legiones reuocare, armáque deponere, ne populum Romanum in ſe concitaret, & ad arma prouocaret. Mittuntur etiam ſępenumero legati nõ modo vt nuntient, ac renuntiẽt, verùm etiam vt cum exteris nomine publico paciſcantur, fœdera ac ſocięttates. Quod quam iuſtis fieri poterit conditionibus perficient, nec aut gratia, aut largitione corrupti, in præuaricationem, patriæque proditionem turpiter incidant, omninóque quod illis mandatum erit, fideliter exequẽtur. Nam etſi olim legationum tabulis hæc nouiſſima clauſula apponeretur, *legati præterea quicquid vtiliter poterunt agunto*, ſitque literis proditum, Q. Mutium Carthaginienſibus legatũ miſſum, cum duabus Teſſeris, vna pacis altera belli vt quã vellet reportaret, tamen legatus omnem mouebit lapidẽ, non modò vt quod è republica erit, ſed etiam quod ſibi præſcriptis verbis mandatum eſt perficiat, vt enim tutela ſic procuratio reipublicæ, ad vtilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt gerenda, inquit Tullius.

in ꝑ. de orig. iur.

Hinc narrat Liuius, legatos Romanorum Tarẽtum miſſos publicè laudatos fuiſſe, quod non modò fideliter mandata exequti fuiſſent, ſed etiam quod quibus acceperant verbis legationem peregiſſent. Hoc ergo ſibi perpetuò legatus ob oculos ponat, legatio-

nis, negotiorúmque gestorum rationem esse renddendam. Quod si in priuatorum negotiis, mandatarius tenetur si mandati fines excesserit, quid rogo futurum putamus, de procuratore & negotiatore totius reipublicæ, si fines legationis etiam occasione rei melius gerendæ excesserit? aut si præcipua legationis capita omiserit? Nihil ergo propria authoritate molliri debet legatus, sed omnia ad præscriptam legationis formulam, tanquam ad lydium lapidem referre ac componere. Narrat Gellius quendam Architectona virgis cæsum, quod malum non vti iussus erat, sed tamen aptiorem arieti faciendo Crasso Proconsuli misisset. Etenim P. Crassus Asię proconsul cum Leucas oppidum circũsedere & oppugnare pararet, opusque esse firma ac procera trabe qua muros quateret, scripsit architecto, vt ex duobus malis quos Athenis viderat, maiorem ad sese mitteret. Tum Architectus cum resciuisset quam ob rem Crassus malum desideraret, nõ maiorem vti iussus erat, sed minorem aptiorem, magisque Idoneum arieti faciendo misit, quod factum supplicio, & animaduersione dignum Crassus iudicauit. Neque enim occasione rei melius gerendæ, ab eius Imperio præscriptísque verbis discedendum fuisse. Cuius exemplo sapiat legatus, nec quicquam proprio marte, propriáque authoritate, contra præscriptam & conceptam formulam attentet. Nec verò etiam quicquam si potest de formula omittat, aut iniquioribus conditionibus paciscatur. Scitum etiam est de Cn. Pisone, qui cum militem sine commilitone ex

comeatu redeuntem damnasset, quod eum interfecisse crederetur, centurionemque supplicio præfecisset, fortè dum ceruicem præbet miles, commilito apparuit qui falso occisus putabatur: Itaque iussit centurio lictorem gladium condere, damnatúmque ad Pisonem reducere. Verum Piso non passus est diutius Centurionis oscitantiam, & inobedientiam, itaque tribunal conscendit, crudelissimóque iudicio, militem, commilitonem, ipsúmque centurionem damnauit. Te inquit, duci iubeo quia damnatus es, te quia damnationis causa fuisti commilitoni, te quia iussus occidere non paruisti. Crudele quidem & inhumanum iudicium, vt cum Seneca meritò exclamare possim, ô quam solers est iracundia ad fingendas causas sui furoris, excogitauit Piso tria crimina quemadmodum faceret, quia nullum inuenerat.

Lib. 1. de ira. cap. 16.

Sed tamen quod militaris disciplinæ seueritate excusari possit. Quid ergo de legato fieret si quicpiam facere iussus non fecisset? cuius contumacia toti reipublicæ præiudicio esse potest? Sic Antiphon, Archeptolemus, & Onomacles, damnati sunt, quod cum legati Atheniensium essent, tamen neglecto legati officio, neglectáque legationis formula, non è re Atheniensiũ sicuti iussi erant, sed Lacædemoniorũ legationẽ obiissent, & iniquis conditionibus fœdus pepigissent, quasi nõ iã Atheniensiũ sed Lacædemoniorũ legati extitissent. Sed & præuaricatio, atque sordes, præcipua accusationis capita fuerunt, nec eos supplicio eripere potuit, Antiphontis illius nobilissimi oratorum

in Vita Thucid.

In Bruto.

ris, elegans pro capite & fortunis deffensio, quo nemo vnquam elegantiùs aut disertiùs dixit, vt author est Tullius: sed quænam tam diserta oratio esse potest, quæ perfidiam ac præuaricationem legatorum prætexere, ac excusare possit? Etenim præcipua legatorum anchora, eorúmque tutissimum Asyllum, fidelitas & constantia reputari debet, quam dum religiosè colunt, merito ab exteris & à suis sicuti dictũ est sacrosancti habentur. Quam fidelitatem non satis seruasse videtur Methrodorus Mithridatis legatus, qui cùm ad Tigranem Armeniæ Regem missus esset, societatis concilliandæ & ineundæ causa, vt coniunctis viribus & copiis, bellum Romanis inferrent. Tigranes ipsius Methrodori hac de re consilium & sententiam rogauit. Qui paullò liberiùs quam legatum decuisset, sese hanc societatem comprobare dixit, pro ea persona quam sustineret, alliàs societatem hanc se non multum probaturum. Et quanquam hominum, consilia non obligent, tamen Metrodorus eo nomine pœnas dedit. Quinetiam tantopere suo principi fide & religione obstrictus est legatus, vt si quid dum missionem expectat subolfaciat, quod cum ad suam legationem non pertineat, attamen intersit reipublicę principem id resciscere, certè eius muneri ac officio incombit, ea de re quibus rationibus, & quam citissimè poterit, suum principem certiorem facere. Nam legatus alio nomine, sicuti antea dictũ est, tentator & explorator dici posset, eúmque ob finem sępiùs mittitur, quanquã alia honestior missionis causa

In Bruto.

Plutharch. in Lucullo.

L. quisquis C. ad l. Iul. maiest. proferatur. Multis etiam priuatis, nullóque publico sacramento adstrictis exitum, attulit coniurationem rescisse, eámque reipublicę gubernatoribus non propalasse, aut principi non reuelasse: non quod eam sciuissent, sed quod non reuelassent. Nā qui ad aliquod tempus insidias, ac coniurationem supprimunt, facillè participes & fautores presumuntur, saltem in supinam ignauiam latámque culpam incidunt, quæ dolo proxima est, & in grauioribus delictis crimen vt à Iurisconsultis dicitur. Cuius rei extat nobilis historia *Lib. 17. bibliothec. lib. 6.* apud Diodo. Sicul. & Q. Curtium, de Philotta Parmenionis filio, qui coniurationem in caput principis factam, cum biduum aut certè triduum celasset, de more lapidibus obrutus est, eiúsque familia atque etiam amici, vix Macedonum legem euaserunt. Quod si priuatis conniuentia hęc ac ἀνανοητία nocet: Quātò magis legatis aliisq; magistratibus taciturnitas eiusmodi & oscitatio dānosa esse debet? Qui sicuti dictum est, suo principi solenni fide ac iusiurando, obstricti sunt, quíque eo nomine amplissimam mercedem, honestissimáque salaria & honoraria obtinent.

De legatorum in patriam reditu.

CAPVT XII.

SED iam plus satis, apud externum principem legationis nomine commorati sumus, nunc verò de reditu cogitandum est, & receptui canendum. Neque enim legatus, aut propter loci amœnitatem, aut aëris serenitatem, aut fructum salubritatem, aut denique propter hominum festiuitatem, diutiùs quàm legatio postulet commorari debet, quàmque aut valetudo, aut respublica patiantur. Vbi ergo singulis suæ legationis capitibus satisfecerit, suóque munere probè functus erit, actutùm sese itineri accinget, reditúmque conficiet. Verumenimuero quoniam sub hoc tempus, quo de discessu legatus cogitat, illi à principibus externis munera offeruntur, ac missitantur, non erit vt opinor absurdũm, hoc in loco de muneribus quæ τὰ ξένια siue τὰ λαυτεῖα dicuntur, nonnihil disputare, liceat ne legato ea captare, an vero ea omnino aspernari ac reiicere satius fuerit. Non licere quidem, nec decere multis rationibus multorũque exemplis confirmari potest. Nam vt patronus, ab alio quam suo cliente sine præuaricationis crimine honorariũ non accipit, vtque mulier ab alio quam marito munera captare turpis quæstus atque impudicitię indiciũ est, ita legatum, qui ab alio quã suo principe salaria accipit proditionis, maléque obitæ legationis suspitionem effugere non posse cetum est. Nam vbi cupiditas, & auaritia reperitur, ibi fides & constantia deest: Nec enim acceptio est, sine deditione, seipsũmque dedit prius, cui extraneus dederit: vt pignoris loco acce-

ptum munus esse videatur: Quod non nisi proditione lui solet. Hoc cum veteres intelligerent, legatorũ in muneribus capiendis auaritiam seuerissimè vindicarunt. Etenim apud Athenienses Callias, licet pacem illam gloriosam cum Persarum rege fecisset. Et Epycrates quanquã populũ è pyræo reduxisset, attamen quod legati munera accepissent huic capitale fuit, ille quinquaginta talentis mulctatus est. Sic & Timagoras, quod ab Artoxerce auro & argento plenus rediisset. In eandémque damnationem incidit Philocrates collega Æchinis, quod sese à Philippo pecunias accepisse non negasset. Nec sillentio pręrereundum quod narrat Plutharchus, Apud Corinthios nominatim lege cautum fuisse, ne legati munera acciperent. Quam legem & apud Athenienses ac Romanos sancitam fuisse non dubito. Miror magis à decem viris in duodecim tabulas non fuisse relatam, nec à Iurisperitis celebratam. Nisi eodem quo Lycurgus consilio vsi sint, qui de parricidiis legem non dixit, ne non tam prohibere, quam admouere videtur. At certè non est probabile, decem viros eam prętermisisse, qui de minutissimis & leuissimis rebus leges retulerunt. Aut si eam ex composito & ex professo omiserunt, minus probabile Romanos in legationibus obeundis, tam continentes fuisse, vt non sępe huius legis promulgandę iustissimam occasionem prębuerint: si modo eo consilio hanc legem decem viri tabulis exemerũt. Etenim ex corruptissimis moribus optimę leges promanant, vt præclarè Demosthenes contra Timarchũ.

Xenoph. lib. 7. rerũ Græcar.

in Apophthegm.

Cicer. in oratione pro Rosc. Amer.

Itaque facilè crediderim, hanc etiam legem duodecim tabulis adſcriptam fuiſſe, ſed quæ temporum iniuria perietit, ſicut ex his pauca admodum nobis fragmenta reſtant, ex Gothorum & Longobardorum incendiis, qui omnia fermè antiquitatis monumenta perdiderunt. Quæ fortaſſis ſub hac verborum formula concepta fuit. Magiſtratus munera ne capiunto néve danto. Ex qua lex Iullia repetundarũ originem habuerit. Nã M. Æmillio Scauro, dies nunquã dicta fuiſſet, nec accuſatio recepta, quod à Mithridate pecunias accepiſſe diceretur, niſi in eum lege agere licuiſſet, præſertim cum id iure liceat quod legibus prohibitum non eſt. Et Gabinius nunquam exilio mulctatus fuiſſet, quod Syriæ proconſul à Ptolomæo munera accepiſſe conuictus fuiſſet. *Val. Max.*

Quinetiam C. Rabirius, quod pro Rege ſpopondiſſet, ſuáque fide iuſſiſſet, vix eandem iudicij ſeueritatem euaſit. Quorum exempla ſatis confirmãt, aliqua lege magiſtratuũ auaritiam cohibitam fuiſſe, multòque magis legatorum. Ad quos etiam nominatim pertinuit lex Iullia repetũdarum qua tenebatur is qui in legatione pecunias accepiſſet. Eademque hæc legis ſeueritas, etiamnùm hoc tempore, quo omnis belli paciſque diſciplina intermortua eſt, apud Venetos ſeruatur, quorum inſtitutis capitale eſt legato, in legatione munera contrectaſſe. Quod ſuo periculo comprobaſſet Hermolaus Barbarus, niſi mors antè diem irrepſiſſet. Hic enim cum Romæ legationem ageret, & ab Innocentio octauo, in præmium virtutis Epi- *l. 1. π. ad l. Iul. repe.* *Paulus Iouius in Elog.*

ſcopatum Aquilienſem accepiſſet, tacitis ſenatorum ſuffragis damnatus eſt, qui nihil inuſitatæ eius virtuti extra leges tribuendum putarunt. Sed ſi tantoperè ab Antiquis legatorum in muneribus capiendis auaritia damnata eſt, cur quæſo tam frequenter claſſici authores nóbis τὰ λαυτεῖα, τὰ ξένια, τὰ εὐαγγέλια commemorant? quæ legatis aut donarentur aut mitterentur. Etenim Plutarchus τὰ λαυτεῖα deffinit τὰ ξένια πεμπόμενα τοῖς πρέσβευσι. Nam ſi omnino damnanda ſunt munera, atque his legatus abſtinere debet, cur ea aut tantopere celebrantur, aut cur tam ſplendidis titulis ac nominibus inſignita ſunt? Cumque legati ſint quaſi publici negotiatores, pararij, & interpretes, quid cauſæ eſt cur priuatis negotiatoribus munera proxenetica legibus concedantur, legatis verò muneribus omnibus interdicatur? Certè iudicibus omnibus munera accipere prohibitum eſt, ne iuſtitiam vænalem exercere, & ne per ſordes iudicare videantur. Attamen ea munera quæ intra triduum conſumuntur, illis accipere legibus permiſſum eſt. Sicut Imperator Seuerus reſcripto proconſulibus permiſit munera accipere quæ illis offerebantur, dum prouincias ſortiebantur. Hac tamen moderatione οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Nam valdè inhumanum eſt à nemine accipere, ſed omnia & paſſim villiſſimum, & auariſſimum. Non ergo in totum Xeniis legatus abſtinere debebit, ſed modum adhibere, vt neque moroſè prorſus abſtineat, nec auare modum Xeniorum excedat, vt de Proconſule reſpondit Vlpianus. Et vt ſordidiſſimum

l. plebiſcito. de off. præſid.

est munera ambire & procire, ita inciuilè regia munera Diogenis more aspernari, Sunt enim ex hoc genere quæ cum inhonestè petantur, honestè tamen accipi possint. Non sunt enim vt vulgò fertur, reiicienda insignia munera diuinum. quę mutuę inter principes amicitiæ symbola, regiæque liberalitatis monuméta existunt. Sed tamen si quis est qui Curios aut Fabritios simulare velit, vel potiùs immitari, nō admodùm illi succensebo. Immò verò hortor vt Plinium immitetur, qui in causis actitandis, sicuti de seipso testatur, non modò pactione, dono, munere, verùm etiam Xenijs semper abstinuit. Aut etiam Samuellem qui in suo iudicandi munere ipsis esculentis quæ intra biduū consumuntur fortiter & cōtinenter restitit. *l. 6. ff. de of. procons.* *Lib. 5. epi.* *Ioseph. lib. 6. antiqui.*

Etenim munera excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum, vt est in sacris literis. Nunc verò hoc potius legatum monebo, vt statim impetrata venia ac dimissione, reditum perficiat, legationémque renunciet. Quod quidem pręstabit eadem diligentia & cautione, qua illi in legatione auspicanda vtendum diximus, vtpote per loca & itinera stata & assueta, non tortuosa aut auia. Etenim memorię proditum, sicut iam dictum est, Atheniēses suos legatos in Arcadiam quondā missos interfecisse, quoniā alia via quam qua imperatū esset profecti fuissent, licet alioquin rectè & ex voto mandata peregissent. Nec verò existimandū minorem esse legatorum in reditu authoritatem, minusque esse aut sacrosanctos, aut inuiolabiles. Etenim quod de proconsule habetur in Pandectis eum digni- *L. vltima de offic. proconf.*

tatem & fasces retinere, donec vrbem Romam ingrediatur: Id ipsum de legato verissimè dici potest, qui donec retulerit suæque legationis singulas rationes exposuerit, sacrosanctus & inuiolabilis existit. Quod tamen olim grauissima in controuersia disputatum fuisse narrat Fabius. Nam cum legatus quidam, antè renuntiationem occisus fuisset, cuius pater paullò antè proditionis damnatus fuerat, cumque accusaretur reus, quod legatum sacrosanctum occidisset, omniáque societatis iura violasset: cædem fateri cœpit, sed iure id factum asseruit, quod lege cōtineretur, vt proditor cum liberis exularet, quod si intra fines exul deprehenderetur, vt iure occidi posset. Ergo se exulem occidisse, non legatum. Nam quod legatus sacrosanctus esse dicatur, hoc apud perduelles ac hostes verum esse, non apud eos qui miserunt. In Italia autem, ciuem esse, non legatum. Atque ob id nec ius gentium violatum, nec publica deditione opus esse. Quinetiam damnatione patris filium damnatum, atque ob id legatum immò ciuem esse desiisse. Contra verò accusator vrgebat, proditoris quidem filium occidere licuisse, at legatum non licuisse, præsertim cum reipublicæ interfit, scire quid legatus renuntiaturus sit, creatum missum esse, & sacramento ad strictum, at neminem desinere legatum esse, antè legationis renuntiationem. Præterea filium patris damnatiónē ignorasse, vt vt sit prius legatum fuisse, quam pater proditionis damnaretur. Itaque semper in eo iure mansisse in quo respublica iusserat.

In declamat.

Denique

Deniqueindignissimum videri, quenquam magis inter hostes, quàm inter suos tautum esse, pro quorum salute & commodis profectus sit. Et sanè siue verra, siue conficta fuerit hæc controuersia, tumultuariè, ac precipitanter nimis legatum occisum arbitror. Nam siue etiam coniurationis conscius fuerit, audiendam prius renuntiationem, cum id reipublicæ expediret, audiendúmque ex vinculis legatum, reorum more cum indemnatum occidi ipsæ duodecim tabularum leges prohiberent, ipsæque Lycurgi ἄξωνες. Itaque etiam coniurationis prætextu mortuo legato, ei statua erigi debet. Qui honos legatis in legatione functis perpetuo delatus est, vt in bellis periculosis ciues munus legationis obirēt audacius, quod quidem ex Ciceronis Philippica septima, & nona, patet, vbi Cn. Octauio, Aull. Cliuio, L. Roscio, Sp. Ancio, C. Fuluio, in legatione mortuis erectas in campo Martio statuas memorat. Itemque cum Lar. Tolomnius Rex Veientū quatuor legatos occidisset illis statuæ relictæ sunt quæ ad nostram vsque memoriam in rostris steterunt, inquit idem Tullius. Eundemque honorem Seruio Sulpitio deferendum contendit. Sic & Athenienses Antemocritum in legatione deffunctum publica statua donarunt. Nec verò illud prætermittendum, legatum dum reditum conficit, ita cursum intendere debere, vt eum qui sibi hoc in munere sufficitur, conuenire déque rebus abs se gestis & deinceps agendis, commonefacere possit. Nam & Proconsul olim nunquam prouinciam egrediebatur, quin prius

Saluianus lib. 8. de iudic. & prouid.

Val. Max. li. 7. ca. 2

in π. de off. procōs.

de ſucceſſoris aduentu, per literas admoneretur, quaque die prouinciam ingrederetur.

Qua quidem die obuiam ibatur, & de negotiis proconſularibus abundè tractabatur. Quod verò ad viaticum & honoraria legato publicè conſtituta attinet, de quibus etiam ſuperius dictum eſt, illo in legatione mortuo, à fiſco vindicari non debent, quaſi non conſequta cauſa, ſed ad legati heredes, ipſo iure pertinēt,

l. 10. π. de legatione. vt eſt relatum in Pandectis. Quinetiam legato Cæſaris diem functo, ſalarium comitibus reſidui temporis præſtandum, modò ſi non poſtea comites, cum aliis eodem tempore fuerint vt reſpondit Papinianus, libro tertio Reſponſorum.

FINIS.




BIBLIOTECA